






OPUSCULA. J. B. MONTANUS 1554




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
4427/A







IO. BAPTISTÆ MONTANI MEDICI VERONENSIS OPVSCVLA.

I. De Characterismis febrium.
II. Quæstio de febre sanguinis.
III. De uterinis affectibus.

A' VALENTINO Lublino Polono collecta.

Cum Gratia & Priuilegio.

NVLLA SINE LABORE



EST VIRTVS.

VENETIIS APVD BALTHASSAREM CONSTANTINVM AD SIGNVM DIVI GEORGII, M D LIIII.



REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI DOMINO,

domino Iacobo Vchanskij Episcopo Chelmensi &c. Virtutum, ac bonarum literarum summo patrono. Valentinus Lublinus Polonus philosophiæ, ac Medicinæ Doctor.

S. P. D.




IRVM fortasse cuiquam uidebitur, Præsul amplißime, quid mihi ego nunc uolens literas ad te dederim, huncq; librum nomini tuo illustrißimo dedicauerim, qui neque ulla tibi familiaritate coniunctus, nec nomine ipso penè sim notus. Faterer hoc mirandum esse, nisi illud magis mirum futurum fuisset, cum nihil ad alliciendum amorem uirtute præstantius sit, si tua

uirtus insignis & spectata, tuum ex-
cellens christianæ religionis studium
non me & iam pridem in amorem tui
impulisset, & nunc animum tibi meum
quando coram non possum, literis, ac
hoc munusculo exiguo indicarem, sua-
deret, atque hortaretur. Non enim
ueritus sum, ne tibi ingratum officium
hoc meum accideret: nec dubitaui quin
tu, qui uirtutibus reliquis excellis,
etiam humanitatis, quæ cæterarum de
cus, lumenq; uirtutum est, maximas
partes feras. Hac spe de te fretus,
quod facere sæpe cogitaui, ut & meum
amorem tibi patefacerem, & tuum con
ciliarem mihi, cuius auspex, & con-
firmator futurus Deus sit. Itaque te
præsul optime, præcibus quam possum
maximis oro, ut mei, ac Montani pa-
trocinium aduersus agmina maleuo-
lorum

lorum suscipias, qui quidem temere audent dogmata illius uiri doctrina, atque omnium rerum cognitione praestantissimi contaminare, eius scripta dilacerare, ac denique eius nomen praeclarum obscurius reddere. Tua etenim autoritas tanta habetur, ut omnium maledicta facilè obtundat, atque illorum uirus pestiferum confestim excutiat. Tu siquidem int er omnes pontifices, quos uastus orbis continet, lumen planè existis. inde te omnes colunt, ac propter tuas singulares uirtutes admirantur. indeq; futurum credimus, ut si tu pro nobis quis contra nos? Tu ergo Pontifex amplissime si me, huncq; librum complexus fueris, charumq; habueris, maximum hunc me cepisse ex tua gratia fructum semper sum existimaturus, hocq; tibi de

me persuadeas uelim, omnia quæ ad tuam amplitudinem colendam, & obseruandam pertinebunt, summa cum fide, beneuolentiaq; præstiturum. Et proinde scito nullo me abs te maiore affici beneficio posse, quàm si occasionem mihi dederis in tuis, & tuorum commodis, atque honoribus operam, curam, laboremq; omnem meum ponendi, atque impendendi. Etsi enim qui maioribus opibus, amplioreq; gratia tibi affuturi sint, multos es habiturus: tamen qui pari amore, ac studio id agat, habebis profecto neminem, sicut tamen eadem probitas tua præstans, & admirabilis, meumq; perpetuum de tuis maximis uirtutibus iudicium requirit, & postulat. Diu ualeas, uiuasq; pontificum decus,

cus, qui uerbo Dei, & exemplo bo-
no oues tuas paſcis. Bononiæ Ca-
lendis ſeptembris. 1554.



IOAN. BAP. MONTANI AD DI-
scipulos, in qua primo consilium suum cur de febribus tractare decreuerit, & quo or dine sit progressurus in hoc compendio, aperit:

PRÆFATIO.



T Interim aliquid uobis studiosis medicinæ communicarem, decreui tradere compendium de febribus, quod quidem tam utile est medico, ut nullũ utilius illo inueniri, excogitariq; possit. Quis.n.tractatus utilior est isto? cum febres maximè, & frequentißimè soleant accidere humanis corporibus: Et ita frequenter accidunt, ut nullus ferè morbus inueniatur, cui non sit coniuncta febris: maximè uerò uniuersalis, & communis est hic morbus, imò dicam etiam, quod omnis, qui moritur, febre moritur uel simplici, uel complicata: tandem est illa quæ enecat homines. unde quod hoc sit uerum, uideatis quid dicat ille poeta. Vis sine febre mori? alludens ad hoc quod ille esset moriturus gladio, uel laqueo, uel aliqua alia morte uiolenta: Quoniam malam uitam degebat, quasi innueret quod mors cum febre naturalis est. ideo frequentissima est febris, ut omnes, qui moriuntur, illa moriantur: Propterea non immerito putauimus de illa compendiosè agendum. Ordo autem

quo procedemus proponẽdus est, ut non deterreamini à tanto opere, & ut cognoscatis quàm breuißimè & exquisitissimè materiam hanc expediam. Primo enim uidebimus essentiam, & quiditatem (ut dicunt philosophi) febris, de qua sumus tractaturi: & uenabimur illius diffinitionem, à qua semper incipiendum in notificatione illius rei, de qua tractamus, ut de quo agamus facilius innotescat. Secundo cuiuscunque illius speciei differentias etiam indiuiduas inquiremus, ut nihil indistinctum remaneat. Tertiò de illarum differentiarum omnium causis, à quibus scilicet fiunt singillatim, & signis dico proprijs per quæ uenimus in cognitionem suarum essentiarum agemus. Quartò compendiosè curationem febrium percurremus. Et ita compendiosissimè habebitis de febribus, quicquid haberi potest ab alijs fusè & perplexe, facillima quadam nostra methodo, quod longe uberius fecimus superioribus annis in Commentarijs nostris in libros ad Glauconem. Hoc uerò ago consulens utilitati uestræ: scio enim uos multum intricatos esse ab alijs. Sed his relictis aggredior primum caput à nobis propositum.

Cap. I. Continens quiditatem, & essentiam febris.

SI uolumus uerè, & secundum rationem diffinire febrim, operæprecium est, ut illius genus primum inueniamus, posteà omnes differentias colligamus

mus, ac coniungamus illi generi, sic constituamus completam diffinitionem: Non enim diffiniemus ita febrim, sicut communiter isti loquuntur. Dicunt siquidem febris est calor extraneus accensus in corde, & procedens ab eo mediantibus spiritu, & sanguine transmissus per arterias, & uenas in totum corpus. Neque enim bona est febris diffinitio ista secundum regulas datas à philosophis: idcirco operæprecium est, ut inueniamus genus illius. febris igitur est morbus quidam uniuersalis, & est in complexione, quæ est primum genus morbi: morbum autem nemo ignorat tripliciter diuidi. Febris ergo est in mala complexione morbus: Morbus autem est dispositio præter naturam in corpore humano essentialiter, & prouentu primo lædens operationes illius, in quo est, & est morbus in prima specie qualitatis, in qua est habitus, & dispositio semper: non autem in tertia, sicut ponunt multi. Quare febris est morbus uniuersalis in mala complexione: est ergo febris dispositio mala, & in prima specie qualitatis: non autem in tertia, ut illam ponit diffinitio istorum: Quoniam dicunt febris est calor &c. Diximus enim iam in secunda fen in principio, quomodo omnis morbus sit mala dispositio, & consequenter in prima specie qualitatis, quæ nos ibi fusissimè declarauimus, quare iam hæc supponantur tanquam probata, & declarata. Dicitur autem in definitione illius uniuersalis ad differentiam aliorum morborum, qui sunt particulares: Quoniam

Auicen. diffinitio in pª 4ª can.

febris vera diffo

hinc accipitur [illegible]

in definitione post genus debent poni differentiæ omnes, per quas distinguatur ab unoquoque alio, ita ut propria eius sit essentia per illam declarata. Dictum ergo hoc est ad differentiam particularium morborum, qui quidem occupant aliquod particulare membrum, sicut hepar, cerebrum, uentriculum, uel aliud particulare. febris uerò non est in uno determinato membro, sed in toto corpore uniuersaliter. Bene ergo posuimus in definitione; febris est morbus uniuersalis: Deinde subdidimus in complexione; Quia quidam morbi sunt in complexione mala, quidam in compositione, quidam uero in solutione continui. ut ergo distinguatur ab alijs morbis, qui sunt in compositione, aut solutione unitatis, dictum est in complexione: postea debemus aliam differentiam apponere, calida & sicca. Quoniam complexio multiplex est: alia enim est frigida, alia calida, alia humida, alia sicca, aliæ sunt quatuor complicatæ ex his simplicibus, & copiosissimè declarauimus in explicatione secundæ fen Auicennæ: idcirco febris est in complexione calida, & sicca. Quare ista erit completa diffinitio, & uera ipsius febris. febris est morbus uniuersalis in complexione calida, & sicca. Et quamuis ista sit optima diffinitio, atque perfecta febris: Tamen longo usu, & longo tempore fuit obtentum, ut loco generis causa contentiua poneretur, & ipsum subiectum loco differentiæ. Perspicuum enim est materiam poni in diffinitione accidentium loco differentiæ, ut nos alias docuimus latius, & lon-

Coplexio multiplex

que sit vera et copleta diffinitio febris.

& longe ante nos docuit Aristo. in septimo Metaphys. Ponitur ergo calor in illius diffinitione loco ge generis, quæ est causa contentiua febris, & est ferè illius formalis ratio: quoniam illius essentiam constituit. Docuimus autem in secunda Fen clarißimè cum de causis tractabamus, quomodo contentiua causa, quæ à Græcis συνεχὴ dicitur, sit in eßentia morbi illius, cuius est causa. Ideo plurimos morbos nomine causæ contentiuæ nominamus. Additur postea differentia ad contrahendum hoc genus, siue hoc quod positum est loco generis, & dicitur igneus: quoniam non est naturalis, sed ad naturam ignis accedens. ponitur deinde in hac definitione subiectum loco differentiæ, quando dicitur in corde, Et hoc fieri solet non solum in hac diffinitione febris, sed etiam in omnibus alijs ferè morbis, ut subiectum in illarum diffinitione ponatur, ut si quis diffinitionem iræ dare uoluerit, dicet: ira est affectus animi, & appetitus uindictæ ob iniuriam aliquam illatam: & hæc est illius uera, perfectaq; definitio. Tamen possumus etiam illam diffinire modo, quo diffiniuimus febrem, ut dicamus est feruor sanguinis in corde: Nam breuitatis causa, ut habeamus illius essentiam propriam, propinquamq; materiam dicimus, feruor: postea ponimus subiectum, in quo existit, & dicimus, circa cor, eodem penè modo sicut cum definimus febrem. ponitur enim in hac diffinitione causa contentiua loco generis, subiectum deinde in quo est loco differentiæ: licet neque illud sit uerum

genus, neque hæc uera differentia. Sic quoque diffinimus febrem, & dicimus febris est calor. Quia etsi sit dispositio formaliter, tamen diffinitur per causam contentiuam, ut per genus: ratio autem illius formalis ferè est causa contentiua, quæ est ipse calor, licet (ut ante monui) formaliter accipiendo ipsa sit dispositio in prima qualitatis specie cum sit morbus. Febris ergo modo hoc dici poterit calor, & per illum diffinitur, & ita clara omnia erunt, nihil ambigui relinquetur. Hæc uero dixi propter multas Sophisticas quæstiones recentiorum, qui propter malam intelligentiam definitionis febris inter sese litigant, & mouent infinitas, & inextricabiles quæstiones, ut multos lectores suos confundant, & tandem seipsos quæstionibus confusos intricent. Adhuc subiungam aliqua pro clariori intelligentia diffinitionis febris; positum est in diffinitione, calor igneus, non immeritò: Quoniam est quidam calor in corpore, qui non potest facere febrem, neque morbum, quia est naturalis, & cum humiditate iunctus non rodens, & acris, ut ignis calor. Dicimus ergo igneus, non naturalis: Nam naturalis calor est elixans secundum dicta Aristo. in quarto metheoro. & est cum humiditate coniunctus, mitis, & non acris, non igneus, ut etiam optime discurrebat Galenus in primo Aphoris. in illo Aphoris. 14. Qui crescunt &c. Quare febris est calor præter naturam, siue igneus, quomodocunque dicatur, nihil refert. Nam idem est accensus in corde, quod est ipsius subiectum,

qualitas caloris natis

ctum, quod positum est loco differentiæ, sicut in alijs omnibus accidentibus contingit, in quorum definitione ponitur subiectum proprium loco differentiæ, quẽadmodum Arist. secundo metaphys. testatur: Nam accidens a subiecto dependet ita, ut illius esse est inesse. num autem formaliter, an materialiter à subiecto accidens dependeat? non faciam in hoc litem, sed ista relinquamus metaphysicis disputanda. Diximus ergo accensus in corde: quoniam hoc est suum subiectum adæquatum, in quo est: nisi enim hæc sua ratio formalis sit in corde, non erit in omnibus partibus corporis: Quoniam alioqui per illas omnes transmitti non posset, ad huc etiam si esset in omnibus alijs partibus corporis accensus, non autem in corde, non erit febris: quia non erit in toto corpore, Sed si est in corde accensus habet suam rationem: quia ita erit in omnibus partibus corporis. Nam cum cor sit illius adæquatum subiectum, si in illo sit iste calor, diffunditur facilius per omnes corporis partes, cum sit principium & fons omnium, quæ procedunt per totum spiritum, & ita per participationem caloris transmißi à corde ignei, omnes istæ partes incalescunt, & igneæ fiunt. Cum ergo erit calor igneus in corde, statim erit per uniuersum corpus transmissus, & inde omnes partes habebunt calorem igneum per participationem ab illo, quod est formaliter, & principaliter subiectum ipsius. Quare cum ratio febris sit, ut existat in toto corpore, & hoc sit in eius essentia, ponitq;

debeat in definitione, & cum est in corde, statim in toto corpore existit, cum diffundatur ab illo per omnes partes. si autem est in alijs partibus, statim est in corde. ideo in diffinitione illius iure, & merito positum est cor tanquam illud, in quo principaliter fundatur, & existit: & cum hoc tanquam quod per illud diffundatur: & reperiatur postea in corpore toto; & si non est in corde, in alijs autem accendatur cum non sit in toto corpore, quia non est in corde, ideo non potuit diffiniri per alias partes. diffinita uero per cor, est ueluti per totum, in quo est diffinitum fuisset; Quoniam ut iam dictum est, statim diffunditur per omnes partes. Iam uero ex his omnibus clarum est, quomodo febris est morbus uniuersalis, & quomodo calor igneus: habeturq; ex his in medium adductis duplex definitio febris, altera quidem uera est perfecta, quæ est data per genus, & differentias, quæ ita se habet: febris est morbus uniuersalis in complexione calida, & sicca; altera uero consueta, & non uera diffinitio quæ erat talis; febris est calor igneus, præter naturam'ue accensus in corde. His uisis necessarium est, ut adhuc aliqua circa definitionem febris trutinemus posita ab Auicenna, postea recta accedemus ad enumerationem omnium differentiarum febrium. Auicenna enim in diffinitione ultima febris addens aliam differentiam febris, dicit; febris est calor igneus accensus in corde, addit & in omnibus aliis partibus corporis: quæ quidem differentia superflua est, non tamen fal-

fa.

2ª. febris defin.

ſa, imò &c. falſa. Quoniam ſunt quædam febres, in quibus non omnes partes incaleſcunt, ſed aliquæ frigent, et tamen illis competit diffinitio febris, ut in epiala, & lypeiria patet: in qua exteriora frigent, interiora uerò calent. Dico ego ſufficientem eſſe illam noſtram diffinitionem, quam dedimus prius, in qua corponitur ſubiectum adæquatum, quod loco differentiæ poſuimus: quæ tamen diffinitio non eſt dicenda uera, & perfecta de ratione diffinitionis. Quoniam ſic effugietis omnes ambiguitates, & intricamenta, in quæ incidunt iſti noui uolentes omnino ſaluare illam tanquam rectam diffinitionem. Sed ut hæc doctrina diſtinctius appareat, inueſtigemus modo, quis ſit iſte calor. Quæritur enim nunquid iſte calor febrilis materialiter, & formaliter diſtinguatur à calore naturali & igneo, ita ut ſint duo diuerſi, & diſtincti calores? an uero tantum unus calor ſolum? Hæc quæſtio eſt ualdè ardua, ut recentiores ueſtri iſti ſe quæſtionibus implicent, & tandẽ quid dicant neſciant; ſed ſeipſos, & alios legentes intricant. Nam ille Marſilius de Sancta Sophia conatur multis ſuis rationibus, & argumentis probare eſſe duos calores naturaliter diſtinctos, quas rationes interim non adducam, cum ſint tam longæ, ut fugarem ueſtra ingenia, & nihil penitus utilitatis inde perciperetis: Sed in rei ueritate contemplando rei naturam, non eſt hoc imaginabile. eſt enim ſolum unus calor naturalis ſcilicet, qui modo eſt naturalis, modo igneus ſiue præter naturam, ſecundum quod

uel

dignum notatu

uel intenditur, uel quandoque remittitur. Ideo secundum illius intensionem, uel remissionem in corpore generantur uariæ ægritudines, modo frigidæ, modo calidæ, neque aliter possumus imaginari ueritatem huius quæsiti, propterea per conclusionem ponam. nolo.n. nunc disputare prolixius, quoniam principio promisi me de his per compendium tractaturum, sufficiat si præcipuas tetigero quæstiones, & ueritatē dilucidauero per conclusiones, quod alias à nobis probatum est per rationes: neque tamen hic prætermittentur: quæ ad luciditatem rei faciunt. Vnus ergo est calor naturalis, qui quandoque intenditur, quandoque remittitur: quando intenditur fit intemperies calida in corpore humano, quando uerò remittitur, fit frigida dispositio, & ægritudo. Et sic omnes etiam alij noui aiunt, & boni sunt homines, ut potestis in eis uidere hoc: tantum ille Marsilius fuit, qui posuit argumenta, per quæ imaginatus fuit duplicem esse calorē, sed per ea, quæ inferius ponemus, facile eius argumenta à uobismet soluentur usque ad minima: non enim immorabor in hoc. Quare iam dicimus, quòd calor febrilis est calor innatus etiam uno in subiecto idem non diuersus, sed differt solum in hoc, quod est immutatus: quia febrilis calor, est naturalis, calor alteratus, & intensus ad maiorem gradum. uultis hoc uidere? aspiciatis quæso, quæ dicebat Galenus in primo Aphor. & primo prognostico. ubi diffiniens febrim, dicit: febris est calor naturalis mutatus ad igneum. i. intensus

tensus in gradu qualitatis. Ecce quòd sola intensione differunt, ille moderatus est, hic uero intemperatus ad maiorem gradum: Sed ne erretis sciendum uenit, quod quando dicimus illum fieri præter naturam, non intelligimus, quod omnino fiat præter naturam. Isti autẽ noui uolentes hoc explicare distingunt, & dicunt id, quod est præter naturam dupliciter, siue ut illorum modo melius loquamur, præternaturalitas duplex; alia enim est opposita sanitati, alia opposita uitæ. febris autem non est omnino præter naturam præternaturalitate opposita uitæ, sed bene est præter naturam præternaturalitate opposita sanitati: quoniam est morbus. Quæ quidem responsio cùm bona sit: sophistica tamen, potius dimittatur. Quoniam festinamus ad alia: non enim possumus omnia tam pauxillo tempore expedire exquisite, sed hoc nunc tanquam clarum dimittamus, & uideamus aliud circa hanc diffinitionem. Quæritur etiam hic de quo calore intelligatur in hac febris diffinitione, quando dicimus, febris est calor. Duplex enim est calor, ut scitis, alius est substantia & corpus constans ex quatuor elementis secundum quod dicebat Galenus in prima particula Aphor. in illo Aphoris. 14. Qui crescunt &c. Alius uerò calor est qualitas ipsa de tertia specie qualitatis: propterea quæritur de quo calore intelligatur in hac diffinitione. Hic non intelligimus de substantia idest, de calore, ut est corpus constans ex primis quatuor elementis, quoniam ille non intenditur, neque re-

mittitur

mittitur cum sit substantia, quæ non suscipit intensionem, nec remißionem. Quare intelligimus de calore, prout est qualitas, quæ quidem qualitas naturalis est mitis, benignaq́; , quæ intenditur , & remittitur : & hoc modo quando dicimus, febris est calor igneus, siue præternaturalitas , aut febris est calor naturalis mutatus ad igneum, intelligimus de calore, ut est qualitas:non autem ut est substantia . Atque ex his omnibus iam clara existit diffinitio febris: Nam circa illius partes quidquid contemplandum , ac inuestigandum erat,uisum est affatim:nihil restat in mentibus uestris (ut arbitror) ambigui , nihil prætermissum est, quod hoc loco dici poßit compendiose : quod quidem hic affectamus. Hæc ergo sufficiant de primo capite à nobis proposito.

Cap.ij.de differentijs febrium.

ABsoluta definitione febris deueniendum est ad secundum nostrum propositum, quod in præfatione à principio inter quatuor à nobis hic agenda statueramus , uidelicet ut inueniamus , & inuestigemus omnes differentias febrium usque ad ultimas , ut distinctißimi sitis in hac materia.Et primo uidebimus de differentijs in genere,deinde in specie.Quo in loco diligenter obseruãdum est à uobis,unde ortũ habeant differentiæ febrium : Quomodo illas indagabimus? à quo sumemus principium? Iam in confesso est quod fe-

bris

bris est calor &c. oportet siquidem definitionem recte cognoscere, & percipere, cum illa sit per quam rem cognoscetis omnino: illa enim est, quæ declarat essentiam, & qualitatem rei. Ideo cum recte intelligetur definitio, statim inuentio patebit differentiarum singularum febrium. Diffinitio enim est illa, quæ facit diuisionem per ipsas differentias rectè, innotescere, tanti est momenti ipsa diffinitio. Ideo non malè, neque immeritò plato dixit illum, qui recte diffinit esse Deũ. Et si peripatetici magis fuerint occupati circa artem demonstrandi, non tamen dimiserunt diffinitionem, & diuisionem: imò ipse Aristoteles utitur sæpissimè diuisione, quam tanti facit in utendo ad traditionem rerum, ut in primo de partibus animalium longo processu quærat methodum diuisiuam, & discurrit modò huc, modo illuc; ut omnino inueniat, imò desperat nisi inueniat hanc doctrinam. Nihil enim putat se docturum sine illa de animalibus, & illorum partibus, & non quiescit in tam longo sermone, quoad tandem illam inuenerit. Non possumus etiam secundum ipsum Arist. recte scire, nisi habeamus diuisionem, quam cognoscimus cum scimus diffinitionem. unde tanti est, qui recte diffinit: Qui uero non recte definit non solum nesciet diuidere, sed etiam nunquam demonstrabit. Quare iam habita à nobis superius diffinitione febris, uidendum modò occurrit, unde oriantur differentiæ febrium. Cum ergo hic sint duæ partes, alia formalis, alia uero materialis. Vocamus autem rationem for-

malem

malem illam quando dicimus calor est: Aut ergo à subiecto sumuntur differentiæ: Nam accipiendo rationem formalem non habebimus differentias, Quoniam sumendo calorem in se ille non habet differentias: siquidem nunquam dicimus calorem alium maiorem, intensioremue alio esse calore, sicut neque dicimus albedo una maior est altera albedine accipiendo albedinem in abstracto, sed ratione ipsorum subiectorum distinguitur, sicut dicimus unum caput magis album, quam aliud: Simili quoque ratione unum alio magis uel minus calidum Quare si uolumus uenari recte illarum omnes differentias necessarium est, quod omnes partes, & subiecta reperiamus. Quoniam quot sunt partes essentiales, tot sunt species febrium. febris ergo quæ est calor secundum subiecta, in quibus erit, separabitur: & quot erunt illa, tot illius differentiæ erunt. Cum autem febris sit per diffinitionem datam in corde, ut in subiecto adæquato, quod quidem sicut & alia membra omnia ex tribus componitur partibus secundum quod habetis à Galeno, ex quo omnia sunt ista: Nam sicut in toto corpore est spiritus, qui impetentia siue impetum faciens dicitur, & est ille, qui per corpus dimouetur continue; inde spiritus intus alit &c. dicebat ille poeta: Alia uero pars sunt humores, qui dicuntur à Græcis maxime ab Hippocrate, et Galeno fluida; seu fluentia: Tertia uero sunt membra solida. Sic dicimus de corde sicut de toto, propterea cum in corde sint istæ partes triplices, erit in illo &

febris

febris ut in ſubiecto adæquato, & erit ſemper in una iſtarum partium: Et ita ſicut ſunt tria ſubiecta, ſic primæ erunt tres differentiæ febris. Si ergo calor iſte, qui eſt ratio formalis febris fuerit in ſpiritu, dico quod erit una ſpecies febrium per ſe; ſi eſt in humoribus fundatus, & ad illos terminetur, erit ſecunda ſpecies, & aliud genus diſtinctum febrium: ſi uero in partibus ſolidis corporis, tertiũ inſurget genus. Pro quorum clariori intelligentia operæprecium eſt, ut exempla proponamus, per quæ res propoſitæ melius cognoſcantur. ponamus ergo exempli gratia in hoc auditorio quod ſit aqua per duos pedes diffuſa per totum fundum: ſecundo ſit aer per totum ſparſus, & dimouens ſe; Tertio ſint parietes, qui ſuſtinent auditorium: Stantibus iſtis partibus tribus in hoc auditorio per ſuppoſitum accedat aliquod calidum, quod reddat hoc auditorium calidum: Calor recipietur in his tribus partibus, ex quibus conflatur, & ita illud calidum agendo inflammabit ipſum aerem, aquam, & parietes. Modo autem dicimus per diſtinctionem ſubiectorum, quoniam parietes, aqua, & aer ſunt diuerſæ res, calorem diſtingui, & alium eſſe illum, qui in ſolidis conſiſtit; alium, qui in aqua; alium, qui in aere. Eodem modo penitus in humano corpore eſt: alius enim calor dicitur, qui in ſpiritibus, alius, qui in humoribus, alius, qui in ſolidis eſt. Et ita per diſtinctionem ſubiectorum, diſtinguetur ratio formalis ipſius febris, & conſequenter ipſa febris. Et quemadmodum illud cali-

dum

efimera
humoralis
ethica
exemplu

dum poteſt inflammare ſolum aerem, ſolam aquam, ſolos parietes: Sic quoque febrilis calor poteſt ſolum inflammare ſpiritus, quandoque ſolum humores, quandoque ſolum ſolida membra. Sed quoniam iam diſtinctum eſt, quomodo diſtinguatur calor febrilis per diſtinctionem ſubiectorum, conſequentia quadam poterimus nos hic connectere quandam pulcherrimam quæſtionem, An poſſint accendi ſolida membra corporis humani ſine inflammatione aliarum duarum partium tum ſpirituum inquam, tum humorum: & an poſſint accendi humores abſque hoc, quod accendantur ſpiritus, ſicut poſſibile eſt econuerſo, ut dicebamus, ordine ſcilicet contrario, cum ita procedebamus, ut diceremus ſpiritus in humano corpore, ſicut aerem in auditorio per ſuppoſitum poſſe accendi ſine inflammatione partium ſolidarum, & humorum, aquæ, & parietum, ſic humores ſine inflammatione ſolidorum, & aquam ſine inflammatione parietum. Nunc modo quærimus oppoſitum, an poſſit fieri proceſſus præpoſterus, ut poßint accendi ſolida membra abſque accenſione humorum, & ſpirituum? & an poſſit eſſe hectica, quæ eſt cum calor exiſtit in ſolidis membris ſine putrida, & ephemera: Atque putrida ſine ephemera? i. an humores poßint accendi ſine inflammatione ſpirituum? iſta enim ſunt tria genera febrium diſtincta ſecundum diſtinctionem ſubiectorum cum ſuis nominibus: Sed operæprecium eſt, ut exactiſſime differentias febrium cognoſcatis. Quare pro utilitate ueſtra repe-

repetam, ut melius memoriæ uestræ infigantur. Cum itaque formalis ratio febrium sit posita loco generis scilicet calor igneus: subiectum uero loco differentiæ sumptum sit scilicet cor, ab his duobus, quæ sunt duæ partes essentiales sumentur omnes differentiæ febrium. Quare sumemus differentias febrium aut à ratione formali, aut à subiecto illarum. Cum ergo ita dupliciter poßit diuidi febris. Hippo. differentias omnes febrium exquisitißime executus est, quoad rationem formalem in sexto libro epidemiarum, Galenus tamen etsi non damnet illam diuisionem, neque eam reprehendat, quia semper magni facit Hipp. persuasus tamen nescio quadam ratione ad hoc, ut traderet diuisionem sumptam à subiecto febris, illa relicta quam dedit Hippocrates. His ita se habentibus, ut uobis impartiar hanc diuisionem, & distinctionem perfectam, neque aliquid in hoc deficiat, quod desiderari poßit, quatenus tempus tam breue sustinet, cum Galenus in illo sexto libro epidemiarum indeterminate nimis, & admodum confuse, & diminute declaret, nos ostendemus clarißime mentem Hippo. ibi primo & omnes differentias sumptas à ratione formali febris, & intellecta recte, ac distincte mente Hipp. habeatis secundo à nobis diuisionem distinctißimè sumptam à subiecto, quam Galenus magis approbauit: hæc faciemus, ut omnia clara sint in distinctione febrium. Incipiamus ergo: febrium quædam mites, quædam acres: mitium quædam uaporosæ, & sunt ephemeræ:

calor est ratio formalis feb. cor vero subiectum


i. a calore

i. a subiecto i. corde

Diuisio supra à ratione formali f. i. à calore

quædam uero fumosæ, & sunt febres ex putredine sanguinis. Hæc est diuisio Hipp. sumpta à ratione formali, & subdit. Acres quædam sunt ardentes, quædam debiles: ardentes quædam sunt subitò accedentes: quædam uero post insurgentes. Subitò accedentium quædam tactui succumbunt, & sunt tertianæ simplices: quædam uerò remittuntur, & sunt causi, ut dicunt Græci, siue, ut nos, febres ardentes. Pòst insurgentium quædam sunt aridæ, quædam fumosæ: aridæ & sunt Hecticæ: fumosæ uero & sunt amphimerinæ, & tertianæ nothæ. postea accipiatis secundum membrum, quod est quædam debiles. Debiles ergo quædam sunt cum pruritu, & sunt à flegmate salso, & dicuntur à Græcis Medicis, ut à Galeno maxime salsuginosæ. Quædam uero cum humiditate ad tactū, & sunt in flegmate dulci putrescente intra uenas, & dicuntur à græcis τυφώδεις. Quædam sunt cum pustulis, flatibus, & rugitibus, & tremendis, ac sæuis accidentibus, & hæ dicuntur pestilentes. Ista est tota diuisio perfectißima Hipp. quæ apud ipsum ita est intricata, ut non poßit intelligi: declarata à Galeno ingeniose, tamen non ita clara, neque ita distincta sicut apud nos est. Quæ quidem ut adhuc magis clara sit, in tabellam redactam ponimus, ut etiam à rudißimis facilè intelligatur.

Hipp.



Febriũ
- Quædam mites
  - Quædam uaporoſæ, & ſunt ephemeræ.
  - Quædam fumoſæ, & ſunt à putredine ſanguinis.
- Quædã acres
  - Quædam ardentes
    - Quædã ſubitò accedentes
      - Quædam tactui ſuccũbunt, & ſunt tertianæ ſimplices.
      - Quædam intenduntur ſemper, & ſunt καυσοι .i. ardentes.
    - Quædã poſt in ſurgentes
      - Quædã aridæ, et ſunt becticæ ſimpl.
      - Quædam fumoſæ: & amphimerinæ, & tertianæ nothæ.
  - Quædam debiles
    - Quædam cum
      - Pruritu, & ſunt ſalſuginoſæ.
      - Humiditate ad tactum, & ſunt typhodes.
      - Sæuis accidentibus, & ſunt peſtilentes

Galeni diuisio febrium.

Febrium quædam sunt in { Spiritibus, & sunt ephemeræ.
Humoribus, & sunt putridæ.
Membris & sunt Hecticæ.

Cap. tertium continens differentias febrium à ratione formali sumptas.

RESTAT modò, ut accipiamus, & uideamus omnes differẽtias sumptas à ratione formali febris, non tanquam in abstracto, sed connotando ipsum subiectum, in quo fundatur. ideo aduertendum quando dicit Gal. & nos quoque sumi differẽtias febrium à subiecto, intelligendum est, quod sumantur à ratione formali febris, quæ est calor quatenus respicit, & connotat ipsum subiectum, in quo reperitur: non autem à subiecto quatenus subiectum est nulla ratione habita formalis rationis. Nam differentiæ istæ sumentur à calore ratione ad subiectum habita. ergo si hæc uera sunt quemadmodum non est dubium esse uerissima, quot erunt subiecta in quibus talis ratio formalis potest esse, & reperiri, atque poßit referri ille calor, tot erunt differentiæ & species ipsarum febrium: sed illa solum tria sunt omnia, ut ante monuimus, quoniã corpus, in quo fundatur febris habet tres partes, ex quibus constat scilicet spiritus, humores, solidaq; membra: quatenus ergo calor in aliquo istorum fundabitur tres erunt differentiæ primæ ipsarum febrium: nam si est

corpus in q. feb. fundat tres habet partes

est calor in spiritibus dicitur ab antiquis, & ab omnibus nouis ephemera; quia etiam in more positum est nostris Medicis potius uti nomine græco, & illam appellare ephemeram sumpto nomine ab effectu, quia ista febris non perdurat plus una die. Ideo quando dicis febrem ephemeram, idem est, ac si dicas febrem diariam i. unius diei, & hoc est primum genus, siue prima species, dicatur quomodocunque, de uerbis nihil hil curamus, dummodo de re constet. Alia differentia febrium est cum calor fundatur in humoribus corporis fluentibus: Quæ quidem à causa dicuntur putridæ, quoniam excitantur à putredine illorum humorum. Tertium uero genus est, cum calor iste fundatur in solidis membris, illorumq; substantiã occupat: in illisq; ille calor fundatur tanquam esset habituatus, & complexionalis: quẽ amplius non sentiunt: ex quo potest colligi hanc febrem propterea dictam à medicis hecticam, quasi dicatur habituata: quia ista membra sunt habituata in illa, & est illorum quidam habitus quodammodo, nec debetis dicere, sicut dicunt multi iuniores medici, qui toto celo aberrant, quod hæc febris dicatur à moribus, & consuetudine; quia habuerit consuetudinem in illis membris inde dicatur ethica. i. consueta: sed longe falluntur pace illorum dixerim, quoniam hectica ἀπὸ τοῦ ἔχω, quod est habeo, inde hectica quasi dicas habituata. Ex his nanque habitus est: sed dicatis modo quomodocunque, nolo in nominibus consistere: nam hoc non est nostri muneris. siue quo

à consuetudine, siue ab habitu sumatur nomen eius, hoc erit perpetuæ ueritatis, quod figitur calor illius febris in membris solidis.

Cap.iiij.de characterismis ephemerarum.

HIs sic stantibus nunc accedamus ad declarationem illorum, quæ circa primum genus febrium sunt, quod faciemus quoque in alijs duobus generibus. quo in loco attendendum est, quod sicut in hoc primo genere procedemus, ita quoque in illis duobus progrediemur. Primo ergo statuemus suum characterismum, quo separatur ab alijs: quæ habent suos quoque distinctos characterismos: quemadmodum uidebimus postea. Quare incipiendo ab hoc primo genere, quod dicitur ephemerarum genus, dico quod habet suum separatum characterismum, per quem cognoscitur, & distinguitur ab alijs. characterismus autem illius est, ut calor sit fundatus in spiritibus: non autem in alijs partibus corporis, quemadmodum humoribus, & solidis membris: secundus characterismus illius est, ut ephemeræ excitentur à causa extrinseca: siquidem nunquam ephemeræ fiunt à causa corporea, & intrinseca: sed semper fiunt à causa procatartica sic appellata ab antiquis medicis, quemadmodum abunde declarauimus in secunda Fen. Auicennæ ubi loquebamur de causis, & aliàs sæpißime in nostris publicis prælectionibus. Ista ergo duo sunt, quæ faciunt, & constituunt

p.m signu'

2.m signu'

tuunt

tuunt febrem ephemeram, & ponunt ipſam in eſſe atque ipſam ſeparant à quibuſcunque alijs febribus, tum humoralibus, tum hecticis: nam fiunt ephemeræ à cauſa extrinſeca, ac primitiua, & habent calorem, qui eſt ſua ratio formalis, in ſpiritibus fundatum. Hoc explicato ſtatim aliqui ingenioſi contra dicent hoc modo: ſi uera ſunt hæc, quæ ſunt in medium adducta, ſtatim ſequeretnr unum impoßibile, quod iſta febris non erit febris omnino: quod quidem probatur: nam per te in hac febre calor eſt ſolum in ſpiritibus, qui ſunt alia pars corporis humani, modo non eſt in humoribus, nec in ſolidis membris, tamen de ratione febris, quemadmodum tu etiam ſuperius dixiſti, eſt ut calor ſit in omnibus partibus corporis humani, & in toto denique corpore accipiendo febrem in ſuo genere, quatenus febris eſt non contracta per differentias, ergo ephemera non erit febris, quia in ea calor non eſt in toto, ſed ſolum in parte. ſ. in ſpiritibus. Amplius uidetur, quod ſit contra ſenſum, & experientiam, & hoc quidem maius eſt, quoniam ſi tangamus corpus febrientis febre ephemera ſentiemus incaleſcere omnia, quæ ſunt in illo corpore: ergo iſte characteriſmus eſt falſus, imò conuenit cum omnibus febribus in hoc, ut habeat calorem diffuſum per totum, & quaslibet partes corporis. Hæc poſſet obijcere aliquis, & hæc dubitatio mea eſt: ſed quoniam ex ea poſſet aliquis incidere in errorem, ob id obſeruandum eſt, quod ſanè febris ephemera eſt in ſpiritibus, ut clarißime poſteà

uos uidebitis, & primo sciendum est febrim esse dispositionem, sicut diximus principio in uera diffinitione febris, quoniam non erit febris, nisi facta fuerit dispositio in aliquo subiecto: quoniam genus febris est dispositio. Itaque ubi facta erit hæc dispositio, ibi erit febris, cum febris ephemera sit dispositio quædam & impreßio caloris ignei in spiritibus facta; non autem in humoribus, aut in solidis membris, ob id dicitur quod in illa calor est in spiritibus fundatus: non autem in alijs partibus: Denominantur nanque à facta dispositione, non autem ab illa, quæ est in fieri, quoniam febris dicitur in illis partibus, quatenus sunt in calefacto esse, ut dicunt quoque nostri noui. concedendum nanque est, quod omnes partes corporis sunt incalefieri in ista febre, ideo si tangantur, sentiuntur incalescere: & hoc est de ratione febris, quatenus febris est, quemadmodum monuimus ante: sed ille calor non est firmatus in humoribus, aut in membris solidis, sicut in spiritibus, qui ponuntur in calefacto esse, sicut diximus de sententia nouorum, hac ratione dicitur ephemera esse in spiritibus: non autem in humoribus, uel in solidis membris: & hæc diximus quantum pertinebat ad dubium propositum, quo soluto occurrit aliud dubium magis difficile. illud quidem primum dubium uersabatur circa primum characterismum: Hoc uero secundũ dubium est circa secundum characterismum ephemeræ, quam diximus fieri semper à causa procatartica, & hoc esse illi perpetuum, ut à causa externa oriatur.

tur.

tur. Hoc quidem uidetur esse falsissimum, quoniam dicebat Galenus in plerisque locis, sed præcipuè in septimo Aphor. posse fieri ephemeram existente calore in corpore ipso: quod quidem omnia repetebat in primo de differentijs febrium, ubi dixit quod cum inflammata est pars illa, in qua est bubo, successiue inflammantur aliæ partes, quousque cordi communicetur calor, à quo postea cor ponitur in calefacto esse. s. illius spiritus: non autem propria substantia solida. Ergo à causa corporea fit febris ephemera: non autem à causa externa. pro cuius dubij solutione illud est obseruãdum, quod supposuimus in principio huius compendii, nos loqui de febribus hic, prout sunt morbi per se, non autem quatenus sunt accidentia, & symptomata sequẽtia alios morbos. Ideo statuto hoc proposito dico, quod illæ febres de quibus sermonem habemus, scilicet ephemeræ, quæ sunt per se morbi, ortum trahunt à causa extrinseca procatartica, scilicet neque ab alia causa eo modo consideratæ, ut diximus possunt excitari, & hoc illis perpetuum est, sed quatenus febris est symptoma, & sequitur alium morbus, tunc potest fieri à causa corporea, ut in exemplo proposito de bubone clarum est: Quoniam successiue (ut dicit Galenus) partes inflammantur accepto principio à bubone, & illa inflammatio cordi communicatur.

Cap.

Cap. V. de causis febrium ephemerarum.

HIs ita explicatis sequitur, ut tot sint differentiæ ephemerarum, quot sunt causæ uiuifice inflammantes, & alterantes ipsos spiritus. ut autem diuisio illarum integre perspiciatur usque ad minimas differentias, illud diligenter considerandum est: quod declarabat Galenus in primo de differentijs febrium, & in secundo de differentijs morborum. Nam in primo de differentijs febrium, ubi sermonem habet de febribus ephemeris dicit aliquas ephemeras fieri propter approximationem rei calidæ: quoniam inquit ibi Galenus causa calida approximans corpori humido inflammat illud, & accendit spiritus. Ideo causa est excitans ephemeram ipsam calor; secunda causa est quando commiscetur aliquid, quod est calidum cum corpore humido, quemadmodum admittere aliquam medicinam calidam, aut sumere cibum calidum, aut potum, ut uinum potentissimum, quod facile inflammat spiritus, ex qua inflammatione spirituum oritur febris ephemera, aut per unctionem corporis aliquo oleo calido: tale nanque oleum per penetrationem potest spiritus inflammare. Tertia causa est motus immoderatus. ut est nimium exercitium, & excedens uigilia: quoniam hoc utrunque, si modum excesserit, potest accendere spiritus, cum eos maxime commoueat: quam commotionem sequitur inflammatio; inflammationem

uerò

uerò ſpirituum ſequitur febris ephemera. Quarta et ultima cauſa eſt prohibita tranſpiratio, quæ quidem fit propter aliquod claudens poros cutis, qua clauſione facta prohibentur ſpiritus egredi, inde redduntur feruentiores: quoniam nõ poſſunt euentari. proinde cũ in corpore ita incluſi retineantur ſeipſis feruentiores, calidioresq; euadunt. Atque hac ratione fundato calore in illis extraneo fit febris ephemera. iam ergo erunt quatuor ſpecies ephemerarum diſtinctione ſumpta à cauſis. Sed iſtæ modo ephemeræ diſtinguantur per gradum caloris: quoniam quandoque in alia remiſſior eſt, in alia uero multò remisſior ſtando ſemper in illa differentia, quod iſtæ febres ſint mites: non autem acres, & hoc comparatione ad alias febres ſæuiores, & acriores: in quibus calor eſt acrior: tamen propterea ab his non auferimus, quin in eis etiam ſit calor acris, ſed non eſt ita acris comparatione facta ad alias febres, quemadmodum ſunt putridæ, & non eſt mirum ſi ita loquuntur medici. eſt nanque apud nos quoque communis uſus loquendi, quando dicimus hominem aliquem bonum, qui minus malus eſt inter alios homines malos, ideo dicitur bonus reſpectu illorum malorum, non quod propterea non ſit malus, ſed eſt minus malus alijs. Itaque magis eſt proximus bonitati: ſic quoque humorem bonum dicimus quandoque, qui minus malus eſt alijs malis humoribus. febrium igitur ephemerarum hoc totum genus non eſt ita acre, quamuis calor excellat, alioqui non eſſet febris: quia eſt calor

lor igneus, ſed dicitur totum hoc genus mite reſpectu aliarum febrium: quia in eo non eſt ita acris calor, ſicut in alijs reperitur. Quũ ergo ephemera non tranſcendat ſuum genus, quia ſemper mitis eſt reſpectu aliarum, ut diximus, tum in hoc genere ephemeræ multæ differentiæ ſunt: nam in una calor eſt minus mitis, in alia magis benignus: & hoc dicimus non tranſeundo illum ſuum characteriſmum. Iam ergo conſtat, quot ſint differentiæ ephemerarum: Nam diuidunt ſecundum diſtinctionem ſuarum cauſarum, & quot ſunt cauſæ alterantes ipſos ſpiritus, tot ſunt ephemerarum ſpecies, et differentiæ. Has ergo cauſas in tabellam redactas ponimus, tum ut melius intelligantur, tũ etiam ut fidelius memoriæ mandentur.

Ephemerarũ febrium quædam fiunt.
- Ex approximatione rei calidæ.
- Per admiſtionem rei calidæ in corpus.
- Per nimium motum corporis, uel animi.
- Ex prohibita tranſpiratione.

Iſta eſt completa ephemerarum diuiſio per ſuas cauſas: & iſtæ febres ephemeræ ſecundum quod habent

bent diuersas causas, à quibus causantur, sic quoque habent diuersos mores, & diuersas curationes, quemadmodum dicemus, cum loquemur de illarum moribus, & curatione.

Cap. VI. de Characterismis febrium putridarum.

Expedito genere febrium ephemerarum, ueniamus modo ad aliud genus febrium, quod nos certe facturos principio polliciti sumus: quod quidem clarum reddere enitemur, sicut in priori fecimus. quare putridarum febrium siue humoralium, idem namque sunt, explanationem aggrediamur: putridæ quidem dicuntur, quia causantur ex putredine humorum: Humorales uero, quia calor febrilis in humoribus fundatur: istarum inquam febrium putridarum characterismus communis est, quod humores putrescunt, & iste est principalis omnium characterismus, sed statim his lectis aliquis dubitans insurget, & contradicet, nonne potest esse febris humoralis, cum tamen humores non putrescāt, sed solum efferuescant absque illorum putredine: sed aut solum putrescentibus suis ichoribus, quos alias dari abunde probauisti ex Platone, & omnibus tum Philosophis, tum Medicis? & nunc dico, & ingenue fateor ichores dari, nec aliter potest dici: propterea tirunculi medicinæ cauti debent esse ab illis, qui falsa docent, & scribunt: quoniam & se ipsos, & quicunque dogma illorum sectantur, decipiunt

in

in hoc. Ex his ergo ſequetur quod febris putrida poterit eſſe ſine prædicto characteriſmo, ideſt, putredine humorum. Dico ſi debet eſſe febris putrida, neceſſarium fore, ut humores putreſcant: quod quidem perpetuum eſt in febribus humoralibus, ſed cum ebulitio, & putredo in humoribus non accenditur, ſed in illorum parte ſubtiliori (quam in ſingulis humoribus dari comprobauimus, & dicitur ichor) tunc non poſſunt fieri putridæ febres: & ratio eſt, quia calor non eſt tantus cum ebuliunt ichores, & putreſcunt, ut posſit humorem ipſum accendere, ſed ſolum partem ſubtiliorem quandoque aggreditur, & ſic fit ephemera febris: unde iſtæ partes ſubtiliores cum ebuliunt, fit quædam febris ſynocha ſine putredine, quia ephemera dicitur, ut ſuperius abunde probauimus, & ita ex ebulitione ichorum nõ erit putrida febris. Characteriſmus ergo dictus perpetuus erit in putridis febribus. ſed ad huc aliquis inſtans non acquieſcet meis uerbis, ſed urgebit hunc in modum ſecundum Galen. ebulientibus ipſis febribus intra uenas non poſſunt fieri febres ephemeræ, ſed potius fiunt putridæ: tua autem ſententia eſt fieri ephemeras, quæ dicuntur ſynochæ ſine putredine: ad hanc abiectionem hunc in modum reſpondeo reſoluendo omnes quod ebulientibus ichoribus intra uenas fit febris, quæ neque ephemera eſt, neque putrida, ſed media inter utranque, quoniam non pertranſit quartam omnino diem, quam ſi pertranſiret, non amplius eſſet hæc ſpecies febris: & non ſolum excitaretur

tur ebulitio in partibus subtilioribus, quæ ichores dicuntur, sed iam inciperent ebulire, & putrescere partes solidiores humorum. Quo fit ut dicam ebulientibus illis ichoribus excitari febrem mediam inter ephemeras, & putridas, & illam non pertransire quartam diem. Si autem pertransit, fit putredo in humoribus, & ita aut intra quatuor dies resoluitur, & abit, aut fit alia putrida febris: & proinde proprius est characterismus, & primus febrium putridarum, ut scilicet humores putrescant, quibus non putrescentibus non diceretur febris humoralis. hoc enim proprium illi est quatenus humoralis dicitur: quoniam illa (ut diximus) in qua ebuliunt ichores humorum intra uenas media existit inter ephemeras, & putridas: communicat enim de ambobus extremis cum ephemeris, quia cito terminatur: terminatur sane in quatuor diebus. communicat autem cum putridis, quia ebuliunt ichores humorum in ea, qui non ebuliunt in ephemeris: Et propterea non est omnino dicenda hæc febris putrida, sed est statuenda media. neque hoc tollit characterismum putridarum, quin illis communis, & perpetuus sit secundus characterismus febrium putridarum, communisq; illis est, quod in illis humores, & ipsum cor ponant in calefacto esse, ut communiter dicunt isti: ponuntur nanque in calefacto esse propter uapores ascendentes ad cor, qui fuliginosi, & putridi, igneiq; cum sint miscentur ascendentes cum humoribus cordis, & sic ponunt illos, atque substantiam eius

in

in calefacto esse, & nisi sic ponantur in calefacto esse à uaporibus fit ephemera, non autem putrida febris: Nam secundum Galen. cum solum incalescunt spiritus, tūc est characterismus febrium ephemerarū. Tertius characterismus febrium putridarum est, ut nunquam fiant à causa procatartica siue primitiua, bene uerum est hoc, quod illa causa primitiua potest disponere, ac præparare humores ad hoc, ut facilius putrescant; sed non possunt putrefieri à causa extrinseca: quoniam bene possunt, ut diximus, disponi ad hoc, ut postea à causa intrinseca facilius putredinem suscipiant. Fiunt ergo semper putridæ febres quæcunque sint, dummodo sint putridæ à causa intrinseca, & corporali quatenus putridæ sunt.

3 characteris. febres putridæ nunq fiunt à cā primitiua sed pot quē dispo nere ad putrefactionē

Cap. VII. De differentijs febrium putridarum.

HIs ideis distinguentibus illas ab alijs febribus ita constitutis operæprecium est, ut ueniamus ad illarum differentias. dicimus ergo quod tot erant differentiæ humoralium febrium, quot sunt humores in corpore humano, ad quos refertur ista febris: sed humores isti sunt quatuor tantum. ergo sequitur, quod sunt solum quatuor differentiæ febrium putridarum; quoniam uel putrescit bilis, uel sanguis, uel pituita, uel humor melancholicus: & istæ dicuntur primæ differentiæ febrium putridarum. denominantur postea istæ species febrium secundum uarium humorem, in quo

argum

fiunt, & fundantur. itaque sumentur istæ primæ diffẽrentiæ à subiecto suo; secundæ uero differentiæ (sunt enim secundariæ ad illas primas) sumuntur à loco putredinis, in quo putrescit humor, uel à modo putredinis, quo putrescit: secũdum enim uarium locum, in quo putrescit, fiunt diuersæ febres: & secundum quod uario modo putrescunt humores, à loco quidem differentiæ sumentur: quoniam humores putrescunt aut intra uenas, aut extra uenas: si intra uenas fit febris continua: si extra uenas fit interpolata seu intermittens. sed illa continua postea diuersificatur secundum humorem putrescentem diuersum, & uarium modum illius putredinis. Aliæ nanque sunt uniformes usque in ultimum: nam à principio usque in finem semper eodem modo se habent, nunquam increscunt, nunquã exacerbantur. Secundo sunt aliæ continuæ febres nõ uniformes, sed cũ incrementis, & exacerbationibus ipsis, cum hoc quod sunt continuæ. Nam quædam exacerbant de tertio in tertium, quædam de quarto in quartum diem, quædam uero singulo quoque die: Et istæ sunt duæ species febrium continuarum per se. est postea alia species per accidens continua, quando scilicet duæ febres simul coniunguntur, ita ut cum unus paroxysmus finiatur, postea alius incipiat statim; & ita copulantur paroxismi, ut uideatur continua febris. Illa autem quæ est sine typo, & paroxysmo aut semper increscendo procedit à principio usque ad finem, aut semper minuitur, aut semper à principio usque ad ul-

timum eundem ſeruat tenorem neque increſcit, neque augetur, neque diminuitur. Iſta autem febris quæ eſt ſine paroxyſmo, nullamq́; habet penitus exacerbationem fit, cum putreſcunt omnes æqualiter humores ſecundum ſententiam Gal. ſi ita res ſe habet, ſtatim dicetur à quoquã iſta febris eſt peßima omnium febriũ, ſi putreſcunt omnino in ea, & ita dubitare poſſet aliquis contra nos, & omnino urgere putreſcunt per te omnes humores in hac febre; ideo peßima omnium erit: Hoc tamen falſum eſt, quoniam putreſcente bile fit quandoque ardens febris καῦσος à græcis dicta, quæ peior eſt, cum tamen in hac ſolus humor peccet, in qua etiam fiunt ſæuißima accidentia, & acerrima ſymptomata, & in ea moriuntur ſæpißime homines: in illa uero homines non moriuntur, nec ſunt ſæuißima accidentia, tamen deberet eſſe peior, cum omnes humores putreſcant æquabiliter. Ad hoc dico quod conſequentia illa eſt optima, ſed antecedens illius eſt recte intelligendum, quo bene intellecto ſtatim tolletur illatio conſequentis: ſi nanque humores omnes æquabiliter putreſcerent in corpore humano eſſet peßima febris, ſed cum dicimus ſecundum Gal. & Medicos, quod in hac febre putrefiant omnes humores, intelligimus, quod putrefiant omnes ichores humorum, quos diximus dari ſupra, & aliàs abunde probauimus: hincq́; ſi attendatis, apprehendetis ueritatem: quoniam omnia ueritati conſonant, & opinio nulla poteſt eſſe uerior, ac uicinior ueritati, quam poſuimus. Si nanque putre-
ſcerent

scerent omnes substantiæ crassiores humorum, tunc uerissimè sequeretur illatio, quam obijciens in medium attulit, quod tamen falsissimum est, ut experientia comprobatum est: nam solum ichores humorum putrescunt. ideo non sequetur, quod infers, pessima &c. Nam peior est quando putrescit substantia causa humorum, quam quando ichor, & pars subtilior: perdurat autem ista febris per sex uel septem dies, ad septimum nanque extenditur, neque eum pertransit. quod si quandoque pertransire uideatur non amplius est ista species febris, sed tunc incipiunt putrescere partes crassæ humorum, & cadit uirtus: & non temere uirtus cadit, quia sanguis ipse putrescit, tunc cum quo stat uita, & uirtus, ut abunde probauimus in commentarijs nostris ad Glauconem, & alibi etiam, & ita fit febris postea pestilens, quæ pessima est. sed cum putrescunt solum ichores humorum, tunc fit febris illa aquosa, de qua nunc sermonem instituimus. ideo facile exhalant uapores, & calor ille mitis est & uaporosus, quoniam est in substantia tenuiori humorum: & ista febris paroxysmum, neque exacerbationem aliquam habet propter causam iam dictam, quoniam omnes humores æquabiliter intra uenas putrescunt, i. omnes ichores humorum, cum tamē hoc uariat tribus modis: aut nanque semper crescendo procedit à principio usque ad finem, aut semper decrescendo, aut semper eundem tenorem tenens, & seruans eundem tonum: augendo autem semper procedit secundum dicta

Galeni, quando illud quod putrescit est maius, quam illud, quod resoluitur. i. non potest tantum resolui de materia, quin semper magis pntrescat, quam resoluatur, & ita aucta causa augetur quoque effectus. i. febris. Semper autem decrescit, quotiescunque illud, quod resoluitur maius est, quam illud quod putrescit: remissa nanque causa remittitur quoque febris. quotiescunque autem tantum resoluitur, quantum putrescit neque magis, neque minus, sed sicut remittitur semel, ita iterum intendetur, quod semper eadem causa permaneat æqualis, fit febris illa, quæ eundem seruat tenorem à principio usque ad finem, non intendetur, neque remittetur, sed semper eodem modo se habebit, & hæc dicitur à Græcis ὁμότονος, καὶ ἀκμαστικὸς & ab istis recentioribus illud nomen Græcum magis acceptum fuit. Illa autem, quæ semper decrescat usque ad finem, & à græcis dicitur παρακμάστικος: Quæ autem procedit semper augendo dicitur ἀναβάτικος καὶ ἐπακμάστικος Πύρετος. Hanc diuisionem quoque uidere licet apud Auic. in prima Fen. quarti libri à principio. tres ergo erant iam species febris huius uniformis, & hæc de febre, quæ non habet exacerbationem aliquam, cum hoc quod est continua. illa uero quæ continua cum sit, habet quoque paroxysmum aliquem, & inuasionem, & multiplex est secundum multiplicitatem humoris peccantis, & putrescentis. nam unusquisque humor potest facere diuersum paroxysmum, & exacerbationem ab alio, quoniam tertiana continua est, quæ de

tertio

tertio in tertium exacerbat: est quartana, quæ de quarto in quartum affligit: quotidiana est, quæ quotidie excuciat. Nam humores, qui in illis putrescunt, diuersi sunt, & singuli illorum habent quandam occultam proprietatem, quæ quidem excitat exacerbationes diuersas. bilis enim habet quandam occultam proprietatem, ut exacerbet cum putrescit, & facit tertianam continuam: habet inquam facultatem exacerbandi de tertio in tertium: sicut in quartana cum putrescat melancholia habẽs proprietatem hanc, ut exacerbet de quarto in quartum diem. unde fiunt paroxysmi de quarto in quartum. in quotidiana autem, quoniam pituita, quæ in illa putrescit, habet hoc ex natura sua, ut faciat paroxysmum quotidie, propterea quotidie affligit ægrum. Hæc est ueritas, quam profero, neque alio modo possumus saluare naturam istarum febrium: singuli humores habent ex propria natura, & occulta quadam proprietate, ut exacerbent diuersis modis. Deponatis modo illud, quod dicunt isti, neque credatis alicui, qui dicit se redditurum causam manifestam huius periodicationis febrium: quoniam omnes, qui conati sunt reddere rationem, & causam manifestam huius decepti sunt, neque sciunt tandem quid dixerint, sed nugantur, & suis nugis replent tantum folia, & pias aures auditorum offendunt. Et propterea reliquendi sunt, cum non poßint reddere manifestam causam, quoniam ut dixi principio, causa tota hæc est referenda in proprietatem occultam humo-

rum ſingulorum: Hactenus iam diximus ſolum de tribus febribus ex tribus humoribus habentibus diuerſos paroxyſmos: quid dicendum modo de quarto humore: Nam haud oportet illum ſilentio tranſire: quamobrem hoc loco quærendum eſt, poteſt ne eſſe febris continua à ſanguine putrefacto habens propriam exacerbationem, ſicut de alijs diximus humoribus? dico quod non poteſt ſaluari, ut ſanguis ſolus putreſcat in corpore non putreſcentibus alijs humoribus; neque poſſumus hoc dicere aliquo fundamento, neque unquam inuenietis apud Hippocratem, aut Gal. quos ego legi, & relegi: neque hoc etiã poſſe fieri ratio dictabat, & experientia oſtendit. quid ergo, ſunt ſomnia illa, & figmenta inæpta, quod putreſcat ſanguis ſolus non putreſcentibus alijs humoribus, non poteſt fulciri aliquo fundamento, quoniam omnia in oppoſitum ſunt, & uolunt iſti uertere in falſam opinionem, nunquam poßibile eſt hoc, quod ſanguis putreſcat non putreſcentibus alijs humoribus. Hoc dij, non homines, non conceſſere columnæ, & ita erunt ſolum tres continuæ febres: quæ habent paroxyſmum à ſanguine non dantur, quoniam (ut diximus) non poteſt ſolus putreſcere, ſicut alij humores putreſcunt, cum ſit fundamentũ uitæ: ſed ſi putreſcunt omnium humorum ichores. i. partes ſubtiliores illorum, tunc fit febris continua illa uniformis ſine exacerbatione ſynocha dicta, de qua locuti ſumus, deinde dicta eſt febris à ſanguine ab iſtis, qui de illa diſputant, & contendunt,

tendunt,

tendunt, cum tamen res ſit clariſſima.

Cap. VIII. de febrium intermittentium differentijs.

CVm iam de continuis ſatis ſimus locuti, & uidimus, quot differentiæ ſint illarum, ſistamus pedem; & iam uideamus de intermittentibus, & interpolatis. Interpolatæ autem febres plures habent differentias in ſuo genere: diuerſos nanque habent paroxyſmos ſecundum diuerſitatem humorum putreſcentium: Iſti autem humores poſſunt diſtingui, quoniam unus poteſt putreſcere abſque alio. cum ergo ſint humores illi tres, excrementa poſſunt diſtingui à ſe inuicem, cum poßint ſinguli putreſcere, & deinde à natura extra mitti: Nam cum multiplicantur, & ſuperabundant humores in corpore, uel ſunt nimis mali, uel infeſtant naturam, & ſtimulant, & ita ſtimulata natura expellit eos extra uenas: aut ita ſuperabũdant, ut ſanguis ita multiplicatus ſit, ut fiat plenitudo quoad uaſa. ſanguis etenim multiplicatus replet uaſa, ut uideantur repleta, & inflata: ſed uirtus non dicitur oppreſſa, neque repleta, neque minus ſtimulatur, ſicut in cacochymia: hac ratione cum multiplicatus eſt ſanguis, non derelinquitur à natura, cum ſuper ipſum ſuſtentatur. Virtus nanque in ſanguine fundatur, & conſiſtit: ideo amiciſſimus eſt naturæ. unde uidemus quod illi, qui patiuntur hanc plenitudinem

quomodo fiat febris interpolata

uirtus in sanguine consistit et fundat.

quoad uaſa, quam Græci appellant πληθωρὰν ſicut robuſtißimi, & ſanißimi, imò in ſummo bonitatis, & ſanitatis conſiſtunt: Virtus nanque non eſt debilis, neque cum non opprimatur, irritatur, & ſtimulatur: ſed illam plenitudinem ſuffert, delectaturq́; illa, ac fortior redditur. Iſte autem habitus eſt periculoſus nulla ratione alia, quam hac quod periculum incumbat, ne aut uaſa, & uenæ rumpantur; aut tandem ſuffocentur: nullum aliud in his periculum imminet, bona ſunt omnia: ſicut dicebat quoque clarißime Gal. ſuper illum Aphor. Hipp. habitus athletarum &c. & ita non poteſt fieri interpolata febris à ſangnine, quoniam non extramittitur ſanguis à natura, cum ſit illi amicus, neque eam irritet: ſed ſi ichores illius ſanguinis incipiunt ebulire, & efferueſcere propter copiam caloris, quia non poſſunt tot, & tanti humores regulari à natura, tunc fit illa febris, ſi non putreſcunt, ſynocha ſine putredine: ſin autem putreſcunt fit ſynocha continua putrida. Cum uero alij humores, qui ſunt excrementa huius boni, ita multiplicantur, ut irritent naturam ipſam, cum illos natura non poßit ipſa ſuſtinere, expellit extra uenas, & ita ſinguli ab illa poſſunt extra mitti, ſicut peccant ſinguli: & inde fiunt diuerſæ interpolatæ febres habentes paroxiſmos uarios ſecundum uariam naturam illorum humorum, ut diximus de continuis, habent paroxiſmos, ut uerbi gratia ſi ſola bilis putreſcat fit tertiana de tertio in tertium exacerbans: ſi pituita

cur febris interpolata nō pot fieri a sanguine

pituita fit quotidiana quotidie exacerbans; si melancholicus, quartana de quarto in quartum affligens. Sed ut ueritas magis eluxescat, repetamus paulo altius characterismos febrium putridarum, quibus recte constitutis sequetur statim integerrima cognitio differentiarum febrium putridarum. putridæ . Itaque febres quatenus febres putridæ habent characterismum suum, per quem distinguuntur tum ab ephemeris, tum ab hecticis: si namque debet esse febris putrida operæprecium est, ut humores incalescant, & non solum incalescant, sed etiam putrescant: quoniam si solum incalescerent, & non putrescerent non fieret febris putrida, sed ephemera tantum. Cum ergo incalescunt, & ebuliunt, operæprecium est, ut putrescant, alioquin non excitaretur febris putrida, sed ephemera. Iam uero hactenus habemus duos characterismos febris putridæ, reliquum est, ut inueniamus tertium, per quem ponitur in esse: Et propterea dicimus, si debet eße febris putrida, esse necessarium, ut uapores fuliginosi, & putridi eleuati ab humore putrefacto ascendant ad cor, & commisceantur cum humoribus cordis: ex quorum commistione postea putrescant alij humores in corpore; Illi tamen, qui sunt in corde cum quibus commiscentur, non putrescunt, sed solum ponuntur in calefacto esse, & hic est tertius characterismus propius febris putridæ. Nam hoc est perpetuæ ueritatis quod in putrida ponuntur humores cordis in calefacto esse ab uaporibus fuliginosis ab humore putrido ascenden


in

tibus ad cor, & hoc dogma non est meum, sed Galeni in primo de diff. feb. ubi dicebat, quod quandoque febres fiunt ex bubonibus, cum in bubonibus putrefiant humores, à quibus ascendunt eleuati uapores ad cor, & sic commiscentur cum spiritibus cordis, & illos ponunt in calefacto esse; ex quo fit febris ephemera. Nam illi uapores à bubone elati ad cor non miscentur cum humoribus cordis: & inde non potest excitari febris putrida, quoniam solum commiscentur cum spiritibus cordis: & inde solum ephemera oritur; quoniam etsi duo characterismi requisiti ad hoc, uti sit febris putrida inueniantur in bubone; quum humores eius incalescunt, & putrescunt: tamen deest tertius characterismus quod scilicet humores cordis non ponantur in calefacto esse à uaporibus eleuatis ab humoribus existētibus in bubone. unde solum ephemera, & non putrida febris excitatur. Hoc posito & constituto dicimus quod cum putredo sit characterismus febris putridæ & potißimus, & communißimus omnibus putridis febribus secundum illum characterismum est necessarium, ut sumamus differentias uarias febrium putridarum. Et propterea omnes differentiæ illarum sumemus aut secundum modum putredinis: sicut enim uario modo putrescunt humores, ita uariæ oriuntur differentiæ febrium putridarum: Aut sumuntur ex diuersis subiectis, in quibus fundatur putredo: aut ex diuersis locis, in quibus fit putredo: Aut ex diuersis gradibus putredinis: Et isti erunt

quasi

quasi fontes, à quibus ſumuntur omnes differentiæ putridarum febrium. accipiamus modo differentias à ſubiectis putredinis, & tot erunt febres putridæ, quot ſunt ſubiecta, in quibus conſiſtit putredo: ſed ſolum ſunt quatuor ſubiecta, quatuor nempe humores: ergo ſolum quatuor erunt differentiæ, quæ denominantur poſtea à nomine humorum, in quibus eſt calor putredinalis. nam hoc obſeruabitis apud omnes medicos, quotieſcunque fit febris, in qua putreſcat pituita dicitur ab illis pituitoſa febris: ſi uero ſit illa, in qua putreſcat bilis, biliosa nuncupatur: ſin autem ſit illa, quæ pendeat à melancholia melancholica dicitur: Sin poſtremo ſit à ſanguine ſanguinea pronunciatur, de qua quomodo fiat, & an fiat diximus iam paulo ſuperius, & inferius etiam dicturi ſumus. Sed ut melius fontes diuiſionum febrium putridarum intelligatis, quæ diximus in tabellam reduximus.

Diffe-



Differentiæ feb. putridæ sumuntur: aut à

- Subiectis putredinis
  - à subiectis putredinis quatuor modis aut est in
    - Pituita & est pituitosa
    - Bile, & est biliosa
    - Melancholia, & est melancholica
    - Sanguine, & est sanguinea.
- Locis ipsius putredinis
  - aut
    - Intra uenas, & sunt continuæ.
    - Extra uenas' & sunt interpolatæ.
- Modo siue gradu putredinis

Si ergo ſunt continuæ aut putreſcit tota maſſa ſanguinis.i.omnes humores æquabiliter putreſcunt intra uenas,atque inde fiunt febres ſynochæ, de quibus iam diximus;aut putreſcit aliquis determinatus humorum;& inde fiunt febres putridæ denominatæ ab illis humoribus. Pro intelligentia autem huius febris ſynochæ dicimus,ſi putreſcant æquabiliter omnes humores,ita ut tota maſſa humorum putreſcat,fit febris illa, quam appellamus ſynocham, uel ſynochum ſecundum omnes antiquos,& nouos ſeu noſtros,quod quidem nomen non debemus fugere, licet apud Græcos uideatur eſſe nomen barbarum, ut dicebat Galen. ſed de nominibus non eſt curandum,dummodo rem ipſam intelligamus.Hæc autem febris ſynocha non habet paroxiſmum,quoniam eſt putredo æquabiliter in omnibus humoribus,non quidem in propria ſubſtantia humorum,quoniam ſi eſſet in ſubſtantia propria humorum hæc febris non eſſet illius generis,cuius eſt: nam perdurat ſolum uſque ad ſeptimum diem,& eſt uaporoſa febris,ut iam diximus:ſed excitaretur febris omnium maxima,ut inferius dicturi ſumus.fit ergo ſynocha febris putreſcentibus æquabiliter omnibus humoribus intra uenas,quo in loco per humores , Ichores humorum ſiue partes illorum ſubtiliores intelligere debemus:Per maſſam autem ſanguinis putreſcentem intelligamus non ſolum ſanguinis ichorem , ſed etiam totam ſimul humorum maſſam, in qua æqualiter ſunt omnes humores,æqualitate quidem iuſtitiæ , non autem


tem-

tem ponderis, ut scilicet proportionabiliter tantum sit de uno humore, quantum de altero, ut superioribus annis in prima fen Auicen. abundè docuimus: dicitur tamen massa sanguinis à superabundanti. & nobiliori humore. Cum ergo fiat synocha febris ex putredine ichorum, quia excedunt copia: ideo hac febris solum in plethoricis oritur. Humores cum proportionabiliter augentur intra uenas, ita ut nullius excrementi sit excessus, sed boni augentur humores, replentq; uasa ad tantam plenitudinem, ut maximum robur uirium cum illis stet, & natura non abhorret hanc plenitudinem, imò maxime amica est illi, cum in ea fundatur: propterea non fiunt interpolatæ febres: Ratio est, quia natura non irritatur ab illis humoribus, qui in se boni sunt, imò in summo bonitatis existunt, & cum non irritatur, non expellit extra uenas. interpolatæ autem fiunt quando humores extra uenas putrefiunt. Erit ergo solum continua, Si uero repletio fiat quoad uirtutem, ut uirtus opprimatur ab aliquo humore multiplicato, quem sufferre nequeat, & sit facta Cacochymia, ita ut aliquis humor ex his particularibus, qui sunt excrementa sanguinis propter malam rationem uictus sit augmentatus in tantam molem, quod opprimat uirtutem, & eam irritet, ut expellatur, fit febris interpolata. Si uero non irritet illam, ut expellatur, sed intra uenas solum putrescat multiplicatus præter proportionem iustitiæ aliorum humorum propter malum uictum, tūc fiet febris continua quidem, sed quæ

habebit

habebit paroxiſmum, & exacerbationem propriam illius humoris putreſcentis, ſicut ſi pituita putreſcat intra uenas fit continua cum exacerbatione quotidiana: Si melancholia de quarto in quartum: Si bilis de tertio in tertium. Quæ uero ſynocha dicitur, quæ fit quando tota maſſa ichorum putreſcit, non habet paroxiſmum. Iſtæ quæ fiunt à determinato humore, habent exacerbationes proprias humorum putreſcentium, & dicuntur à medicis proportionales continuæ: Quia habent ſuam periodum, cum hoc quod ſunt continuæ, & fiunt in corporibus, in quibus excedit aliquis humor deprauatus. Et ideo huiuſmodi febres in corporibus mali habitus oriuntur. Illa uero ſynocha in corporibus ſanis, & boni habitus, quæ patiuntur plenitudinem quoad uaſa, quia ad ſummum ſanitatis peruenerunt, ut dicebat uenerandus ſenex Hippocrates. Quo in loco aduertere debetis nos loqui de febribus ſimplicibus, non autem de compoſitis. Nam ſunt aliæ quoque plurimæ febres continuæ, quæ continuæ fiunt, quia ſimul coniunguntur, ita ut paroxiſmus unius cum paroxiſmo alterius coniungatur, & uideatur paroxiſmus unius febris, de quibus nunc non dicimuus, ſed loquimur de his, quæ ſunt continuæ propriæ, ſimplicesq́; quæ fiunt ex putredine humorum intra uenas, aut totius maſſæ, & fit ſynocha, aut alicuius determinati humoris, & una ex tribus, quæ habent paroxiſmos proportionatos humori putrido. Quod ut clarius intelligatis, tabellam oculis ueſtris ſubijciemus.

Si hu-


Si humor intra nenas putrescat, fiunt febres continuæ bifariam.
Aut exputredine alicuius humoris
Et sunt sine typo: ut synocha, et hæc
aut
Est semper æqualis, et dicitur ὁμότονος πυρετ.
Sẽper decrescit, & est παρακμάσικος πυρετ.
Sẽper augetur, & est ἐπακμάσικος πυρετὸς.
Aut ex putredine totius massæ.
Et cum typo sunt ex putredine
aut
pituitæ, & fit quotidiana.
Bilis, & fit tertiana de tertio in tertium affligens.
Melancholiæ, & fit quartana.

Si ergo

Si ergo humores putreſcant extra uenas in alieno ſcilicet loco tunc fiunt febres intermittentes, & cum expellantur humores extra uenas, in qualibet iſtarum tunc ſentitur aliqua frigiditas. nam expelluntur ſic putridi iſti humores per corpora ſentientia tranſeuntes, ut inde percipiatur aut rigor, aut horror, aut frigiditas aliqua: in omnibus tamen ſentitur aliqua frigiditas: Dixi autem aliqua, quia in pluribus ipſarum occultatur. Dicam ergo proprium eſt interpolatarum febrium, ut habeant in principio aliquam frigiditatem: Sic per oppoſitum proprium eſt continuarum, ut fiant ſine ſenſu alicuius frigiditatis in principio. Omnes ergo febres interpolatæ fiunt cum frigiditate in principio: Ratio eſt, quoniam illæ fiunt cum humores expulſi extra uenas pertranſeunt per corpora ſentientia, & inde fit frigiditas ad tactum. Quot autem erunt humores, tot erunt differentiæ febrium intermittentium. & ſecundum illorum diuerſitatem, diuerſos habebunt paroxyſmos. Quatuor uerò ſunt humores (ut iam diximus de continuis) ergo quatuor erunt differentiæ febrium interpolatarum. Si enim putreſcat pituita, & extramittatur, fit febris habens paroxyſmos de die in diem: nam quotidie affligit. Si bilis, exacerbationes fiunt de tertio in tertium. Si melancholia de quarto in quartum, de ſanguine diximus iam, & in quæſtione de febre ſanguinis uidere poteſtis. Cur autem ita ſit, multi quidem conati ſunt, reddere cauſam, ſed non potuerunt aſſequi illam, &

omnes hallucinati ſunt, qui illam inueſtigare uolue-
runt, omnes cauſæ, quæ ab iſtis redduntur uariæ, om-
nes prorſus ſunt uariæ, nihil ſucci, nihil conſoni ha-
bent: credite mihi, uidi omnes. Alexander tralianus
ipſe quoq; conatus eſt aßignare cauſam huius rei, ſed
fruſtra omnino laborauit, cum multa dixiſſet, nihil di-
xit tandem. unde & illi decipiuntur uehementer, qui
dicunt huius rei cauſam Galenum reddidiſſe, cum ta-
men ille dicat, & uelit, quod ego prius poſui ex eius
ſententia, nihilq́; uerius excogitari potuerat. Deci-
piuntur ergo, qui putant Galenum reddidiſſe cauſam
huius in ſecundo de differentijs febrium, ſed iſti ne-
ſciunt, quid dicant, neque intelligunt Galenum iſti, &
ſi profiteantur optime ſe intelligere eum. Dicebat
enim Galenus ibi de hora paroxyſmorum, qui fiunt
ex his humoribus putreſcentibus, non autem de paro-
xyſmorum ratione: neque ibi reddit rationem, & cau-
ſam cur tertiana de tertio in tertium exacerbet, ſed
de hora illius paroxyſmi, quæ mutatur ſecundum ua-
rietatem quandoque cibi, & potus. Nam ſi quis uinum
potens in tertiana, exempli gratia bibat, citius paro-
xyſmum habebit, & longiorem, ſed propterea non mu
tatur ratio, temporisq́; proportio: mutetis quodcun-
que uelitis, uel minuatis materiam, uel agens, uel tem-
pus, hoc eſt, ipſos paroxyſmos, ſemper ſtabit propor
tio illa temporis, quod exacerbationes fient de tertio
in tertium. Ideo noluit reddere cauſam paroxyſmo-
rum Galenus: quod notate ò boni Galeniſtæ, ſed uo-
luit

luit dare causam horæ, quæ mutatur secundum muta=
tionem agentis, uel materiæ. mutatur ergo quando=
que in febribus his hora paroxysmi propter materiã
uel magis, uel minus aggregatam: Si enim magis de
materia aggregatur, citius inuadunt paroxysmi, &
longiores fiunt. Si minus tardius fiunt, & breuiores,
non quod hi fiant de tertio in tertium, illi uerò de quar
to in quartum. Quoniam hoc postea est ab alia cau=
sa, quam ibi non dicit Galenus. Quare Galenus non
reddit aliam causam manifestam. ideo necessarium est
ut recurramus ad qualitatem, & proprietatem occul
tam humorum, ut dicamus id proprium esse naturæ bi
lis, ut exacerbet de tertio in tertium; pituitæ ut quoti=
die: melancholiæ ut de quarto in quartum neque debe=
tis abhorrere causas istas, & proprietates occultas,
sicut faciunt plurimi nostrorum temporum Medici,
qui in medicina nesciunt quid dicant, inexpertiq́; quo=
que in alijs scientijs, & artibus auferunt illas omnino,
& multas ineptias imaginantur. Sed hoc unum scio,
& fateor, nos nil aliud posse dicere in hoc, & hacte=
nus à nullo, quem ego uiderim, fuit inuenta causa ue=
ra huius rei. Omnes imaginantur quidem, sed nihil fir
mi habent: Et in tantam (id dico, ut ostendam istorum
ignorantiam, qui tollunt has qualitates occultas) stul=
titiam deuenerunt, ut etiam uelint negare medicamen=
ta trahentia determinatos humores, trahere per suam
propriam naturam, & illam qualitatem nobis occul=
tam; Dicuntq́; hoc fieri propter calorem, sed nesciunt

quid dicant. Erit ergo caliditas illa, quæ cum ſit in hoc, & illo medicamento ſimplici attrahit hunc, uel illum humorem: bene factum ò miſeri, qui non uident, quòd calor non eſt ille, qui attrahit, bene tamen ille calor adiuuat ad aperiendas uias, & meatus: unde cum aperiat uias, occulta qualitas poſtea magis, & commodius ingredi poteſt, & ita contangat humorẽ, ac attrahat illum. Calor ergo diſponit ad hoc, ut attrabatur humor, ſed eſt ne ille, qui hunc magis, quam illum attrahat. Tu deliras, & hoc eſt, quod uolebat Hippocrates quando dicebat. Corpora quæ purgare uolueris, oportet te prius fluida facere: exponit Galenus. i. aperire uias, ut commodius poßint euacuari humores. aperiuntur autem uiæ per calorem, ſed non eſt ille, qui trahit determinatum humorem, eſt poſteà occulta qualitas, quæ cum ſit in hoc, uel illo medicamento, trahit ſibi familiarem humorem, ſcammonium habet trahere bilem, quare? Quia tale, quoniam habet hanc proprietatem, ut attrahat humorem bilioſum. Calor uerò, qui eſt in illo diſponit, & aperit uias, ut ingrediatur illa qualitas, ſicq́; ſibi familiarem trahit bilem. Eodem modo Rhabarbarum trahit bilem, quia tale, non quia habeat calorem: ille enim diſponit: proprietas autem ſubingrediens, tangensq́; bilem familiarem ſibi attrahit, ſicut magnes ferrum. multa ſunt medicamenta ſimplicia talia, quæ habent hoc inſitum euacuare hunc humorem magis, quam illum: & illũ, quã alium. Quia talia ſunt, non quia ſint calida: nam illorũ cali-

caliditas facit solum ad apertionem uiarum: & ita uos teneatis quod qualitates istæ occultæ multum poßint, neque aspernandæ, quæ si cognoscerentur à nobis, non amplius essent occultæ: Sed cum non inueniantur ab aliquo, necesse est, ut sistamus pedem, & occultas illas appellemus: Et hæc est ueritas, quam tenere debetis: quia semper sequor ueritatem, qui CHRISTVS est. Simili quoque rationis modo in nostro negotio tenere debetis. Humores enim singuli faciunt diuersos, & uarios paroxysmos, de tali in talem diem, non quia hoc, uel illud ut isti dicunt, sed quod hic humor, & ille habet qualitatem occultam, & sibi propriam, ut faciat exacerbationes sic & sic. Cum ergo ita sese res habeat, ut à proprietate occulta isti tres humores, pituita, bilis, & melancholia trahant ad se determinatam naturam paroxysmi, ita ut bilis exacerbet de tertio in tertium; pituita quotidie, & ita faciat quotidianam, hinc opportunißimè quæsiuit Galenus in secundo de differentijs febrium: num humor quartus, hoc est, sanguis, habeat determinatum paroxysmum, & faciat quandam quartani speciem febris distinctam ab alijs tribus speciebus. Vtrum ergo sanguis habeat paroysmum distinctum, sicut melancholia de quarto in quartum? An uero sint solum illæ tres species paroxysmorum. Neque in hoc intellexisti Galenum Auicenna, qui illum damnas. Nam Galenus non quærit utrum putrescente sanguine fiat febris, cum hoc sit per se notum sine aliqua controuersia, in alio propo-

ſito eſt quæſtio Galeni, quærit aliud, & in hoc mihi parcat Auicenna, quia certe non habuit mentem Galeni, quoniam ſi habuiſſet eam, omnino non contradixiſſet illi, imò eum eſſet ſecutus, ſicut in alijs eum imitatur. Quærit ergo an detur quarta ſpecies paroxyſmorum, quam faciet ſanguis à proprietate occulta, ſicut alij tres humores habent uarios paroxyſmos ſecundum ſui naturam: Et ſtante ita quæſtione Galeni ſicut eſt ibi, dicit poſtea Galenus facile ſoluitur quæſtio iſta. Cũ.n. ſanguis habeat duas partes, aliam ſubtiliorem, quam ichorem uocamus, aliam uero craßiorem, propriam .ſ. ipſius ſubſtantiam, ſi putreſcat ipſe ichor ſanguinis, ac extra uenas tranſmittitur, quoniã nunc loquimur de interpolatis, quæ fiunt cum humores extra uenas mittuntur, & putreſcunt, ſi inquam ita putreſcat ichor ſanguinis ſicut in bubone, aut alio apoſtemate ſanguineo, in quibus putreſcente ſanguinis ichore apparet color roſeus in principio, poſtea progreſſu temporis uerſus ſtatum accedendo color ad flauitiem tendit, tunc inquit Galenus fit febris ſanguinea, quæ habet paroxyſmum non ſibi determinatum, & diſtinctum ab alijs tribus, ſed de tertio in tertium ſicut bilis exacerbat: Et hoc propterea fit, quoniam cum pars iſta ſubtilior ſanguinis putreſcit, uertitur ad naturam bilis: eſt enim illi proxima etiam antequam putreſcat. Quare non eſt mirum, cum ad naturam illius accedat, ſi ſimilem quoque paroxyſmum faciat à proprietate ſimili; & in hoc clariſsime

uidetis,

uidetis, quam male Auicenna reprehendat Galenum, quoniam non intelligebat illius dicta. Cum ergo uertatur ad naturam bilis, habet paroxysmum tertianæ, sed si modo putrescat extra uenas pars illa sanguinis craßior, quæ est propria substantia illius, quoniam statim ad naturam bilis atræ, hoc est, melancholiæ uertitur, propterea habet quoque paroxysmum illum, quem facit melancholia de quarto in quartum, & ita istæ duæ febres sanguineæ secundum uariam partem sanguinis putrescentem habent uarios paroxysmos, similes tamen alijs humorum trium; quia ad naturam illorum uertuntur istæ partes putrescentes, una quidem, quæ ichor dicitur de tertio in tertium. quoniam ad bilem tendit: Altera uerò substantia sanguinis propria, ad melancholiam tendens de quarto in quartum exacerbat: Et ita sunt solum tres species omnino paroxysmorum: & in hoc stat tota resolutio quæstionis, quam mouit Galenus: sanguis siquidem non habet proprium paroxysmi genus, sed simile alijs quemadmodum iam abunde diximus. Iam ergo in uniuersum sunt tantum tres species paroxysmorum, aut enim est quotidie, aut de tertio in tertium, aut de quarto in quartum. Quod modo detur quædam febris à sanguine, ita ut sanguinis substantia pura, & proprie sanguis ipse transmittatur extra uenas à natura, certe hoc non est difficilimum refutare: Neque enim sciunt, quid dicant illi, qui putant naturam transmittere sanguinem extra uenas, & dicunt rem contra

quotidianam experientiam. Quomodo autem natura derelinquet excrementa intra uenas, & expellet sanguinem, in quo fundatur uita? est somnium purum: Nunquam certè transmittetur à natura substantia sanguinis pura: uidemus enim etiam secundum dicta Hippoc. quod si fiat sectio uenæ, semper uidebimus omnes humores simul mistos, nunquam separatos, & quidem etiam cum suis ichoribus, nunquam solum sanguinem uidebitis. Nam eum natura magis custodit, quam alios: in sectione autem uenæ ad proportionem omnes exeunt, ut clarius meridiana luce uidemus, & hoc etiam ratione possumus comprobare: quoniam illi humores, qui à natura expelluntur extra uenas sunt illi, qui irritant ipsam ad expulsionem: irritatur autem natura solum ab excrementis superfluis, atque malis, quæ illi usui non sunt, sed potius molestiam inferunt, sicut melancholia, & bilis, quæ præter naturam existentes irritant naturam, & inde expelluntur extra uenas. Cum autem sanguis sit benignißimus humor, amicusq; naturæ, illius fundamentum existens, quomodo potest esse, ut irritet illam? uellem ut mihi diceres locum bone uir? Certè non expellit natura aliquid, nisi irritetur, Sanguis eam non potest irritare, neque solus potest exire, cum illũ semper familiarisſimum sibi retineat, si exit, exit cũ alijs humoribus commistus. Solũ ergo illum nunquam expellit natura, sed bene alios distinguit, & extra uenas pellit irritata ab illis, cum sint

excrementa, & quandoque præter naturam. Sed bene potest distingui ichor sanguinis, & extramitti. unde fiet febris habens similem paroxismum tertianæ. Aut pars illa crassior tendens ad naturam melancholiæ, & cum putrescat ad naturam melancholiæ tendens, facit exacerbationem de quarto in quartum. Substantiam uero sanguinis purã impoßibile est extramitti, & putrescere: Et ita iam habemus differentias febrium putridarum sumptas à duobus fontibus tum à subiectis, tum à locis putredinis: quia aut intra uenas, aut extra uenas putrescit: habemus etiam suas indiuiduas differentias: quod clarius, ut intelligatur tabellam subiicio.

Si putrescat extra uenas, interpolatæ fiunt, à putredine: aut
- Pituitæ, & sunt quotidianæ interpolatæ.
- Bilis, & sunt tertianæ intermittentes.
- Melancholiæ & sunt quartanæ interpolatæ.
- Sanguinis, & hæc aut
  - Ichoris illius, & affligunt de tertio in tertium.
  - Crassioris substantiæ, & est de quarto in quartum.

Cap.

Caput. IX. de differentijs febrium à modo putredinis.

NVnc modo uideamus quomodo diuidantur febres à modo putredinis: sumuntur enim à tertio fonte differentiæ, quoniam secundum uarium modum putredinis uariæ fiunt species febrium putridarum, & aliarum. Vt ergo clare procedamus, repetendum est unum, quod iam superius diximus: Siquidem dicebam characterem tertium putridæ febris esse, ut in illa uapores putridi ascendant ad cor eleuati ab humore putrido, & sic commisti cum humoribus illius ponant eos in calefacto esse. Hoc posito, & constituto tunc procedamus diuidendo: Aut enim isti ascendentes ad cor, commistiq; cum humoribus illius ponunt in calefacto esse ipsos humores solum, & ita fit species febris putridæ, siue unum genus latum, uidelicet putridarum, quoniam per hunc characterismum ponitur in esse febris putrida. Quæcunque enim febres habent hoc, ut uapores putridi ascendant ad cor, & cum illius humoribus permisceantur, sicq; ex eorum permistione ponantur in calefacto esse, sunt febres putridæ, & hoc est unum genus, quod sub se postea multas habet differentias, De quibus omnibus iam satis diximus. Aut isti uapores ascendentes ad cor ab humore putrido permisti cum humoribus eius, ponunt non solum in calefacto esse, sed etiam illos putrefaciunt: Tanta

Tanta enim est putredo in humoribus corporis, & uapores ita putridi eleuantur, ut cum contingant humores cordis putrefaciant, & ita fiet alterum genus febrium, non tantum putridæ erunt istæ febres, sed etiam pestilentes. Danda enim putredo in illis est, ut non solum ponantur in calefacto esse humores cordis, sed etiam, quod magis est, putrescant. Sed hic statim insurgent aliqui iuniores, & etiam seniores dubitantes contra dicta, quoniam nunquam audiuimus à doctoribus, & præceptoribus nostris, quod hoc modo distinguatur pestilens ab illa à proprietate occulta, quoniam febres pestilentes fiunt à quadam qualitate uenenosa occulta nobis: non autem à maxima putredine. ideo, dicetis uos, deberes tu quoque hoc dicere, maxime cum hoc dixeris superius dari: neque uidetur esse contra te dicent illi. Ecce locus dubitandi. Sed uideatis quæso præceptum illius communis præceptoris Galeni, qui est uobis, & mihi præceptor, ideo appellaui eum communem præceptorem: Dicit enim ille non esse negandas occultas qualitates, quas dari nos superius abunde probauimus: Sed cum apparent manifestæ causæ, non sunt quærendæ occultæ. Debemus uerò ad illas occultas recurrere, cum ueræ causæ manifestæ reperiri non possunt. Cum quibus consonant omnia, quæ sequuntur illas causas, et fateri oportet ignorantiam. Nunc uerò non est necessarium recurrere in hoc ad illas, cum manifestas causas inuenerimus, & ad illas nullum incommodum sequatur, imò omnia

obiectio

omnia consonant. Quare pestilentes febres fieri à putredine maxima dicimus, quam postea isti, qui amplius nesciunt loqui, appellant occultam qualitatem. Sed adhuc hic statim aliquis insurget, ac instabit. Vt tibi fides adhibeatur, operæprecium est, ut uerba tua fulcias authoritate aut Hippocr. Aut Galeni? Alias satis dixi, quomodo ab illa occulta, quam uocant isti uenenosam, non potest fieri pestilens febris, sed à summo illo gradu putredinis, & dedimus multa loca, quæ alibi potestis legere. Sed aliqui post hæc uoluerunt adhuc oppugnare hanc ueritatem dicentes, quod istæ febres fiunt à tanta putredine, quanta necessaria est ad hoc, quod generetur quædam qualitas uenenosa, quæ postea generat ipsam pestilentem febrem absque tanta intensione sicut tu ais. Satis est ergo, quòd tanta fiat putredo, ut inde nascatur quædam qualitas tanquam uenenum: Et ita sequetur adhuc hanc febrim à qualitate uenenosa fieri: Sed quæso legatis Galenum in sexto Epidemiorum in illo commento tex. 28. febrium quædam acres &c. Dicebat Hippocr. in tex. Galenus ibi ait, quod summa illa putredo est illa, quæ efficit hanc pestilentem febrem, cum scilicet est in illo summo gradu, tunc uapores illi tam putridi non solum permiscentur cum humoribus, sed etiam illos putrefaciunt: Hoc est Galeni, non meum: Sed si non uultis adhuc persistere, à posteriori probari potest hoc. Nam in febribus pestilentibus uideamus nullam uirtutem consistere, sed omnes concidunt, debiles fiunt: quomodo

modo enim potest fieri,ut uirtutes consistant, cum humores putrescant,in quibus fundantur, & ex quibus continuè sustentantur? Certè hoc impossibile est: Sanguis enim in propria substantia cum alijs humoribus putrescit, & quidem in corde:unde fiunt istæ colliquatiuæ febres: Colliquat enim putredo humores, & putrefacit. Ideo cum multæ humiditates in corpore adsunt,fiunt istæ febres pestilentes. Ex his siquidem maxima putredo insurgit in humoribus, & ita à causa intrinseca non modo generantur, sed & multiplicantur istæ ægritudines sporades ex aere corrupto, & malè disposito tanquam à causa communi: Aer.n. causa cõmunis est,quòd hoc ita se habeat:legatur Gal. nam nolo mihi credatis in hoc,sed mihi,qui sequor Galenum,ex eius ratione,seu fide probare necesse est: ille enim in primo Epidem:ubi loquitur de illis morbis uagantibus docet quomodo pestilentia fiat ab aere, quatenus scilicet ille inspiratur,contingit humores cordis,& ita illos putrefacit. Ideo semper necessarium est,ut illi humores putrescant, alioqui non fieret febris pestilens: istæ siquidem est suus characterismus, ut humores cordis non solum ponantur in calefacto esse,quemadmodum putridæ hoc habent peculiare,sed etiam putrescant. Ideo illi, qui dicunt pestilentiam solum fieri ab aere alterato,& corrupto alterante scilicet,non autem corrumpente humores cordis cum inspiratur,nesciunt quid dicant:Somniant isti, cum necessaria sit alteratio intrinseca,ut dictum est,si debeat

esse

putredo colliquat humores et putrefacit

Signū propriū febris pestilentialis

esse pestilens: Hoc quidem uerum est, quod aer alterat, & tanquam causa uniuersalium morborum corrumpit humores, uel disponit ad talem, uel talem qualitatem. Sed postea necessarium est, quòd humores disponantur in qualitate, sicq; fiant ægritudines uniuersales, aut corrumpantur humores cordis ex illo inspirato, sicq; fiat pestilens: quoniam non esset pestilens, neque fieri potest febris ex aere solo inspirato non putrefaciente prius humores cordis. Cum enim aer inspiratur, statim cor pertingit, & inde spiritus cordis, & humores illius putrefiunt, imo quandoque in aere tanta est putredo, ut cum per inspirationem tangat cor, statim illum putrefaciat, & corrumpat, & non solum humores, sed etiam quandoque illius substantiam statim, & inde subitò moriuntur homines illi, cum aerem talem inspirarint: Interimitur enim statim uirtus, & ita mors sequitur. Ideo uidetis in maximis pestilentijs homines mori statim, quandoque ex tanta putredine in aere existente, hoc uidemus sensu. Sed non est postea reddenda causa, quod hoc fiat ex aeris alteratione solùm, non uero quod corrumpat humores: hoc enim est somnium. unde & illi, qui arbitrati sunt illam magnam pestilentiam, de qua loquitur Galenus suo tempore fuisse, factam esse solum ex aere alterante, credo quod sint aut cerebri inuersi, aut somniant: nesciunt certe quid dicant, si aduerterent, non dicerent ista monstra. Tamen non immorabor in horum confutatione, quoniam uos ipsi per uerba Galeni



sexto

sexto Epid. id quam oportune facere potestis: Nam ibi facit de hac magna pestilentia mentionem, & dicit clarissime factam illam fuisse ex putredine intrinseca humorum, quam causabat aeris qualitas; Et hoc clarius quoq; uidebitis in x. therap. in fine capitis ultimi, ubi loquebatur Galenus de colliquatiuis febribus, quas dicebat esse pestilentes. Iam igitur clarum est quomodo pestilentes febres, fiunt ex summo illo gradu putredinis existente in humoribus ipsius cordis, & substantia ipsorum non solum excrementorum, Sed etiam sanguinis, quod non fit in alijs febribus. Et ita concidunt uirtutes omnes, indeq; moriuntur ægri: sunt enim periculosissimæ, & exitiales huiusmodi febres, cuius rei signum est, quod omnes moriuntur statim, si sunt magnæ, sin minus, moriuntur licet non statim, sed progressu temporis, & in hecticam incidunt, et ex hectica pereunt, sæpissimeq; nos uidimus ægros ab hac liberatos hectica perijsse: & inter alios memini ego in praxi de quodam scholari presbitero Aretino, qui laborabat pestilenti febre, nos eum curabamus, & erat mecum Odus, illum omnino liberauimus ex pestilenti febre, sed postea incidit in hecticam, ex qua mortuus est, hoc non est à uobis dubitandum, quoniam id uidimus sæpius. sed dices tu, quia dixisti in hac febre humores cordis necessario putrescere, quæritur modo num possint putrescere secundæ humiditates? ex quibus putrefactis leuati uapores putridi ascendant ad cor, & in illius humoribus misceantur, & ita

si po-

ſi ponantur in calefacto eſſe fiunt putridæ humidita-
tes, ſi putreſcant, excitentur peſtilentes febres. Nam
hoc uidetur dicendum de his ſecundis humiditatibus, ſi
cut dictum eſt ſuperius de humoribus. Hanc dubitatio
nem uidens Galenus ingenioſisſime ſoluit in illo deci-
mo meth. cap. ultimo ubi loquitur de colliquatiuis fe-
bribus. Dicit ſiquidem quod tunc non ſolum eſt putre
do in ſecūdis iſtis humiditatibus, ſed ēt in ipſis humo
ribus, ita ut poſſunt fieri febres ex putredine illarū
humiditatū. Sed cū illæ putreſcunt, nō ſolæ putreſcūt
ſed cum illis &c. humores prius putredine corripiū
tur: Si.n. putreſcūt illæ humiditates ſecundæ, quāto ma
gis humores cum magis hoc illis posſit ineſſe? Et inde
poſſunt fieri peſtilentes, & putridæ ex uaporibus pu
tridis ad cor aſcendentibus eleuatis à putridis iſtis
humiditatibus cum humoribus. Adhuc etiam poſſunt,
qđ magis eſt eleuari uapores putridi ex aliquo mem-
bro putrefacto; ut ubi eſt Gangræna aliqua: & inde
accedunt ad cor ſummæ malitiæ, & putredinis uapo-
res, ut ſtatim quandoque putrefaciant eius humores
cum quibus miſcentur, & quandoque ſtatim illius ſub
ſtantiam, & inde confeſtim uitam cum morte commu
tant homines illi. Neque hoc à uobis ſpernendum eſt,
neque mirandum: quoniam uidimus experientia ſæpe
id, imò me uidiſſe quendā laborantē gangræna in mē
bro quodam, qui mortuus eſt in decem horis, cum iam
corruptum eſſet membrum: tantæ enim ſunt malignita
tis illi uapores, ut mortuus ſit, quamuis eſſet optimæ
& ro-

& robustissimæ naturæ, uiriumq; potentissimarum.

Cap. X. de differentijs febrium sumptis à subiecto.

ABsolutis differentijs febrium putridarum sumptis tum à locis putredinis, quæ est causa earum, tum à modo, & remotis dubitationibus ortis circa has differentias, Reliquum est, ut accedamus ad tertium genus febrium, quod quidem sumitur à subiecto: nam nunc ita intelligimus de his tribus generibus sumptis per comparationem ad subiectum. Vidimus autem de ephemeris, & de putridis satis, quoniam ephemeræ sumuntur à ratione formali febris penes comparationem ad spiritus, in quibus consistit de putridis penes comparationem illius rationis formalis ad humores, in quibus producitur: ita enim sumebamus illarum differentias. modo dicendum est de genere tertio, uidelicet de hecticis febribus, quæ sumuntur à ratione formali febris, quatenus consistit in solidis membris: febres enim hecticæ habent principium suum formale, calorem igneum; sed non amplius comparatione, & connotando spiritus, uel humores, sed solida corpora, in quibus consistit, si debet esse hectica febris. Solida autem membra sunt in duplici differentia: quædam enim sunt proprie solida, & uerissime, quæ alio modo à medicis membra spermatica uocantur, sic dicta quoniam generantur in principio generationis ex spermate, ut ossa, nerui, membranæ, ac cutis: talia enim

membra generata ſunt ex ſpermate. ideo propter defectum materiæ ſi caſu aliquo incidantur, non amplius poſſunt continuari, neque ſi auferantur regenerari: quia non amplius eſt ibi ſperma, ex quo generata ſunt. Alia uerò ſunt ſolida membra improprie, nō amplius ſpermatica; quoniam non ſunt ex ſpermate generata, ſed ſunt humor quidam, non dixerim proprie humor, quia non eſt proprie humor iſte, ſed quædam res concreta: appellemus autem ita nunc humorem, quam ſic etiam appellauit Galenus, non curemus de nomine, & eſt humidum radicale, & caro: & ita tria ſunt & ſpermatica, & caro res concreta, & humidum radicale, quæ ſolida ſunt: illa proprie, hæc uero improprie. Quotieſcunque ergo calor febrilis in altero iſtorum trium accenſus fuerit, fiet febris hectica, & ſecundum quod ſunt inter ſe diuerſa, ſic erunt uariæ ſpecies febris hecticæ. Aut ergo calor iſte igneus erit in ſpermaticis membris, aut in carne, aut in humido radicali, & ſic erunt tres ſpecies hecticæ ſecundum diuerſitatem ipſorum ſubiectorum: ſemper tamen eſt febris hectica per relationem ad ſuum ſubiectum, quod eſt ſolida membra. Incipiemus ergo à prima ſpecie, quæ quidem eſt cum calor febrilis conſiſtit in humido radicali: ſecunda uero eſt, cum eſt in carne: tertia cum eſt in membris ſpermaticis, quæ peſſima eſt omnium: ſecunda peior prima: prima autem eſt omnium optima. Incipiam ergo à prima ſpecie: appelletur autem ſpecies, uel gradus non curo, dum modo res intelligatur. prima

ma ergo species consistit in humido radicali, quo in loco obseruandum est aliter Auicennã, quam Galenum exposuisse hoc humidum radicale: sed in rei ueritate resolutissime dicendo, hoc humidum radicale, & humidum, quod nutrimentale appellamus idem est, & unum humidum, diuerso modo se habens. Dogma autem Galeni est, quod sanguis per ulteriorem concoctionem factam à calore in uenis cum postea in membris continetur, fiat albus: omnia enim membra spermatica alba sunt, ut alias diximus, & probauimus diffuse: ex quo posteà generatur sperma, quod album est. Cum ergo exit uenas, & accedit ad membra nutrienda, primo apponitur illis, alioqui nõ posset fieri motus ille nutritionis: secundo agglutinatur: tertio assimilatur: quarto unitur, & ita humidum radicale est, secundum Galeni sententiam: atque ita fiunt quatuor motus, & operationes appositio, agglutinatio, assimilatio, unio. Tamen semper unum est humidum per alium, & alium modum confectum, & alteratum. Quomodocunque ergo sit febrilis calor in hoc humido sic quadrupliciter alterato, semper est febris hectica, siue modo sit in humido, quod apponitur, siue in illo, quod agglutinatur, siue dum assimilatur, uel dum unitur: quẽadmodum enim semper unum, & idẽ est in substantia humidũ, sic una & eadem febris hectica est, quæ in illo consistit: et ita nõ dicemus sicut malè isti noui dicunt: distingunt enim ipsas hecticæ species secundum id, quod calor igneus in his humiditatibus uarijs est: quia faciunt unam dif-

ferentiam cum calor est in cambio, aliam cum est in alijs. Ego autem dico quod semper est eadem species febris hecticæ in quacunque humiditate istarum sit secundum Galenum; neq; distinctæ sunt species: quoniã unum, & idem est subiectum, hoc est, humidum radicale, etiam si sit uariè alteratum. Ideo bene uerum est, quod distingui potest hæc species secundum magis, & minus, s. secundum gradus diuersos huius caloris, & secundum diuersos gradus alterationis huius humidi, in quo consistit calor: Nam alius est gradus, dum est in humido, quod apponitur: alius, dum est in eo, quod agglutinatur: alius cum est in aßimilato: alius in eo quod unitur: semper tamen est una species febris hecticæ: propterea quod isti gradus non uariant speciem, & quandiu est in hoc humore calor igneus, tandiu fit colliquatio. Colliquatio autem ista non est propria istius febris hecticæ, & si ab illa inseparabilis sit, nam in alijs quoque febribus reperitur, propterea non ualet, hic est colliquatio, ergo febris hectica adest: quoniam sunt aliæ febres, in quibus est colliquatio, ut sunt colliquatiuæ febres, quæ non sunt hecticæ, sed sunt de genere febrium pestilentium secundum Galenum ipsum in capite ultimo supra allegato In decimo therapeuticæ, quæ fiunt à maxima putredine existente in corpore, & humoribus ipsius, sicut innuimus superius satis. Vnde dicebat etiam Galenus in tertio epidemiorum, quod colliquatio est signum inseparabile ab ipsis febribus pestilentibus, propterea ubi erit colliquatio

non

gradus nõ variãt species

colliquatio et febris hectica nõ convertuntur

Nota signum inseparabile feb. pestilentium et Hecticae

non statim dicetis, hic est hectica febris, neque hic est pestilens, quia nullius propria est, & si ab utraq; inseparabilis sit. Sed quoniam nos sumus Medici dogmatici, & nunc docemus praxim necessarium est, si debemus curare has febres, ut illas cognoscamus: sed non possumus cognoscere, nisi per sua signa, inter quæ quidem signa est colliquatio. ergo cùm colliquatio ab utraque proueniat, operæprecium est, ut sciamus distinguere, quando prouenit à pestilenti, & quando ab hectica, ut sciamus per illam distinctionem pestilentiũ ab hecticis discrimen. Neque hoc Galenus præterijt in illo decimo therap. ubi loquebatur de colliquatiuis, in quo loco dicebat. quomodo colliquatiuæ sunt pestilentes: Nam alia est colliquatio pestilentis: alia uerò ipsius hecticæ. Cum enim est febris pestilens, tunc uidebitis in ipsis excrementis quandam colliquationem carnium quodammodo, & modo uirus, modo pus, & tanquam prunas quandoque secundum humidum colliquatum, & ita uidebitis illam colliquationem sensibiliter. Cum ergo colliquatio est sensibilis per aluum, tunc est à pestilenti febre, quia tunc signum est, quod calor est magis uiolentus, & ita uiolentus, ut confertim, absumat, & colliquet: non autem paulatim: quoniam propter uehementiam ipsius caloris putredinalis fit colliquatio manifesta sensui; & quandoque ita manifesta est, ut non solum appareat in ipsis excrementis alui, sed etiam in cute: uos uidebitis quandoque per cutim exire ipsam colliquationem, unde fiunt illæ puncturæ:

fiunt carbunculi ex colliquatione humorum, & carnium, de quibus aliàs diximus ſatis. Iam ergo quotieſcunque uidebitis colliquationem manifeſtam, ſtatim pronunciabitis ibi adeſſe peſtilentem febrem, & hæc colliquatio manifeſta ſenſui eſt inſeparabilis à peſtilentibus: nam calor in illis uiolentus eſt. ideo quod colliquat, citò & abunde colliquat. Cum uerò ipſa colliquatio eſt ferè inſenſibilis, tunc prouenit non à peſtilentibus, ſed ab hecticis: nam in his non exiſtit tantus calor, qui confertim locum humidum colliquet, ſed paulatim, ac paulatim colliquat, & abſumit, & ita pedetentim, ut reſoluatur &c. illud colliquatum in uapores, qui aſcendentes poſteà cauſant catarrhum: & hinc uidetis quomodo ut plurimum hectici catarrho moriuntur. Nam cum eleuentur illi uapores, & aſcendant ad caput, ibi poſteà incraſſantur, & condenſantur: & condenſati graues fiunt, quoniam omne graue deſcendit, ut audiuiſtis in alijs ſcholis, ob idq; decidunt in ipſum thoracem, & ita per tuſsim poſteà exeunt: Hoc eſt manifeſtum ſignum, quod calor non ita confertim poteſt abſumere humidum. Ex quo loco facile poteſtis uidere plurimos medicos decipi, quoniam putant cum uident in hecticis catarrhum ulcus eſſe in pulmone, cum tamen plurimum à ſe differant. Facilius enim iſti ſanantur, qui affecti ſunt ulcere pulmonum: illi uero difficilius: tamen hos quoque ſanari multos uidimus. Quid enim aliud faciendum eſt, quã remouendus ille calor abſumens, & reſoluens humidum



dum in uapores, humectando, & refrigerando? Ideo illi medici possunt appellari ignari, imò rudes homines, quod genus animalium asinus dicitur: nam etiam ita illos Galenus appellabat. atque hæc, quæ dixi non sunt mea, sed sunt Galeni: nam non nouam doctrinam confingo, ut plerique solent ad retinendos, & alliciendos miseros scholares, sed Galenum fideliter recito, & dilucide declaro. Hoc nanque est ueritatis sempiternæ aliud esse ulcus in pulmone, aliud uero descensum catarrhi à capite in thoracem causatum ex uaporibus condensatis, ut iam paulo superius diximus: atque possunt facile sanari. Præterea in hecticis non conspicitis illas colliquationes ita manifestas in excrementis alui, imò aluus astricta est, & lotium subtile. In febribus autem pestilentibus illa absumptio humorum apparet tanquam orobus in lotio: orobo enim attrito aßimilatur, secundum quod dicebat Galenus in secundo de crisibus, dicebat enim ibi Galenus illam colliquationem esse orobalem, uel orobaceam, hoc est, similem orobo attrito: et proinde alia est colliquatio inseparabilis ab hecticis, alia uero à colliquatiuis pestilentibus. Quare repetentes quæ diximus, iam clarißime patere arbitror tres esse species hecticæ febris, quibus commune, & inseparabile est signum colliquatio. & prima species illarum est, cum calor febrilis fundatur in humido radicali, siue nutrimentali, in quo colliquatio non ita manifesta est, sicut in pestilentibus colliquatiuis. Cum autem quatuor sint partes huius humidi, hoc

est, cum quadrupliciter alterari poßit hoc humidum secundum quatuor gradus fiunt quatuor gradus febrium hecticarum in hac prima specie, prout calor reperitur in illo, uel illo gradu humidi alterati, ut satis diximus superius. Iam ergo pro epilogo sufficiat primam speciem, hecticæ esse cum calor febrilis reperitur in humido radicali, secundam uerò, cum in carne fundatur, tertiã cum iam est in spermaticis membris, & hæc omnium peßima est. His ita stantibus ad quæstionem accedamus, quam superius mouebamus, non tamen eam soluimus, propterea autem illam nunc soluemus, cum locus hic huic negotio sit opportunus. occasio autem quæstionis hæc est tres esse species hecticarum, & tria genera febrium in uniuersali. Hectica cum calor febrilis est in solidis membris: putrida cum est in humoribus, ephemera cum est in spiritibus, ut superius declaratum est à nobis. Quæritur inde unũ, utrum cum inflammantur, & ponuntur in calefacto esse humores, calefaciant quoque, & inflammentur spiritus? Nam dicent aliqui cum inflammantur spiritus, inflammari quoque humores non esse dubium, quod manifestum est, & de hoc non dubitamus. Sed dices quæro ex te dubitans, an poßit illud fieri, quod in quæstione proposui, uidelicet an poßit stare inflammatio humorum sine inflammatione spirituum? & inflammatio solidorum sine inflammatione tum humorum, tum spirituum? Hoc dubium est: Credo quod intelligatis instantiam, in hoc si tu dicis

alterum

alterum quod ſcilicet non poſsint inflammari humores ſine inflammatione ſpirituum, tunc te ducam ad unum inconueniens, & falſum: ſtatim enim ſequitur quòd non poſsit eſſe febris putrida ſine febre ephemera, & ita omnis putrida coniungetur cum ephemera. Ergo non dabitur putrida ſimplex, quæ omnia ſunt falſa: Ita quoque de ſolidis, & humoribus, ſi dices humores ipſi quomodo non inflammabuntur, cum inflãmentur ſolida membra, in quibus continentur? uidetur certè quod hoc non poſsit ſuſtineri, neque ſaluari: quoniam ſequetur etiam eodem modo, quod non poterit reperiri hectica ſine putrida; Et ita omnis hectica coniungetur cum putrida, & putrida cum ephemera. Ergo omnis hectica cum putrida, & ephemera coniungetur: & ſic non erit ſimplex hectica, nec ſimplex putrida: Quæ omnia ſunt inconuenientia ualde: Quæq; ſi auderes affirmare, diceres non ſolum contra Galenum, & Auicennam, ſed etiam contra ipſam experientiam quotidianam. Videmus ſiquidem hecticam ſimplicem eſſe ſine alijs quandoque, & ſine putrida, & ſine ephemera: Sic quoque putridam ſæpisſime ſine ephemera ſimplicem & per ſe. Quid ergo dices in hac re tam dubia? Ex altera parte uidetur ratio manifeſta: Si enim incaleſcant ſolidiora, quanto magis incaleſcent tenuiora, quæ continentur in eis? In re tam ardua, ut eam ſoluamus, & nihil remaneat inuoluti in mentibus ueſtris, quas explicare, & non implicare cupio, aduertere debetis: quod quotidiana experientia uidemus, &

cogno-

cognoscimus solos humores putrescere absque hoc, quod ipsi spiritus inflammentur, & ponantur in calefacto esse, & ita putridam esse, & posse fieri affirmamus, ut quotidie uidemus sine ephemera: Nam si uerum est, quod alias satis probauimus, sicut uerum est secundum Galenum, quod ex parte subtiliori, & tenuiori uaporosa, & perfectiori ipsius sanguinis generantur spiritus, cum putrescit pituita, ex qua fit febris una species, uel bilis pallida, uel melancholia quid faciet spiritibus? cum neque ex una, neque ex altera generentur, neque cum illis habeant quicquam. Ergo poterunt isti humores poni in calefacto esse, & tunc spiritus liberi, saluiq; relinquentur. Sanguis autem ex quo generantur spiritus, non potest putrescere, hoc clarum est apud ingenia nobilia, quod probatum est superius à nobis, & adhuc probabitur inferius, ut euertatur penitus sententia maleuolorum ueritatem oppugnantium. Ergo cum ille remaneat saluus, salui quoque spiritus relinquuntur, hoc sequitur necessariò, neque hoc potes negare, si habes scientiam, & artem; Bene incalescunt per contactum rei calidæ, uidelicet per contactum ipsorum humorum, sed non propterea inflammantur, neque ita incalescunt febrili calore, ut lædantur eorum operationes. ex quo sequitur febris: bene calefiunt, quia omne, quod tangitur à calido, calefit: febris uero si debet eße febris in aliquo subiecto necessarium est, ut omnino illud ponat in calefacto esse: nam hoc est de illius essentia: Sed cum maßa ipsius sanguinis

Spiritus vnde generentur



guinis putrescit, sicut potest putrescere, quemadmodum iam declarauimus, siue capiendo hic massam sanguinis pro ichoribus humorũ, siue pro substãtijs ipsorum humorum, tunc bene dicerem, quod putrescunt quoque spiritus, & inflammantur, ut rectius loquamur. Nã incipiendo ab ipsa synocha leniori, uidemus quod semper cum incipit, incipit ab ephemera, postea transit ad illam febrem, quam synocham appellamus, in qua postea putrescunt ichores humorum. Quomodo enim uultis, ut humorum ichores putrescant, & prius non inflammentur spiritus: ideo nunquam uidebitis talem febrem, quin semper incipiat ab ephemera. Et hoc ratio dictat si aduertistis, quæ dicta sunt nunc nunc, præter hoc quod Galenus dicit octauo therap. Nonne generantur spiritus ex sanguine? maximè: Hic putrescit sanguis eo modo, quo diximus, & poni tur in cal: facto esse: Ergo & spiritus. Sed si hoc contingit in synochis, in quibus putrescunt ichores humorum, quanto magis hoc erit uerum in pestilentibus, ubi tota massa humorum scilicet ipsorum substantiæ putrescunt? Certè magis fiet in illis, imo non solum illi spiritus incalescunt præternaturali calore, quando quidem humores putruerunt, sed & putrescunt quadam putredine, cum generentur ex illis humoribus, hoc est, ex sanguine commisto cum ipsis, qui in istis febribus putrescit, propterea illæ non sunt sine ephemera. Semper ergo cum ephemera istæ febres coniunguntur, & ex his conspicuum est quomodo possunt es

ſe putridæ febres ſine coniunctione ephemerarum, & quomodo non: Nunc uidendum eſt de hecticis: Iam uidimus quomodo tres ſunt hecticæ ſpecies, una in humido radicali, altera in carne, tertia in ſpermaticis membris: præterea uidimus quomodo ſpiritus generantur ex parte perfectiori, & ſubtiliori ſanguinis. Hoc ſtante dico, quod poteſt eſſe tertia ſpecies, & ſecunda hecticæ ſine coniunctione febris ephemeræ: prima uero non. Et ratio eſt. Cum enim alimentum optimum ſit, ex quo generantur ſpiritus, & non ſit calefactum, ſed ſolum ſint calefacta, & alterata illa ſubiecta febris hecticæ duplicis ſpeciei ſecundæ, & tertiæ. Ergo boni ſpiritus generabuntur ex illo, & cum non ſit calefactum, ſpiritus quoque ex illo generati, erunt non calefacti: At in prima ſpecie humidum radicale ponitur in calefacto eſſe: Hoc modo probabile, & ĩpoſſibile eſt, quod illi ſpiritus, qui ex eo nutrimento generantur, non inflãmentur: Et ita poterit eſſe ſecunda ſpecies, & tertia ſine ephemera: prima uero non. Sed cõtra hæc dicta aliquis inſurget, & contradicet. Nonne generatur ſanguis in uenis, & hepate? iſta autem ſunt membra ſolida. Ergo ſicut erunt generantia iſta membra, ita erit quoque ſanguis generatus ab illis, modo illa ut hepar, in quo generatur ſanguis, ſunt ſupercalefacta in tertia ſpecie hecticæ. Ergo ſicut hepar principium ſanguinis eſt calefactum, ſic quoque ſanguis calefactus erit, & conſequenter ipſi ſpiritus, qui poſtea ex illo generantur: Nonne hoc patet quod qualis erit ſanguis,

gu is,

guis, tales erunt quoque ſpiritus. Et in hoc ſtat tota res, quando dico quale hepar, talis ſanguis, & hoc uidetur manifeſtum cum ſit principium illius, in quo generatur. Igitur adhuc ſequitur, quod nulla hectica erit ſine ephemera: omne ſiquidem quod generatur, aſsimilatur generanti, ut quale generans, tale quoque ſit generatum. Ergo nulla hectica ſimplex erit. Ad hoc dico reſolute, quod quandoque calor febrilis inæqualiter membra occupat, quoniam natura ſemper ſibi retinet, & ſeruat, quæ ſunt nobilioris actionis, & magis neceſſaria: Et quia hepar ſibi neceſſarium eſt ad generandum ſanguinem, ex quo totum nutritur, ideo illud præſeruat ab inflammatione: et proinde cum hepar liberum ab inflammatione euadat, ſanguis in eo genitus bonus erit, & conſequenter ſpiritus boni exiſtent. Et propterea hecticæ poterunt eſſe ſine putrida, & ephemera febre. Quandoque autem æqualiter omnia membra inflammantur à calore: nam æqualiter totum corpus occupat, & tunc inflammatur etiam hepar, & inde fit peßimæ naturæ febris: propterea quod neceſſarium eſt, ut huiuſmodi generetur ſanguis, quale eſt hepar, in quo generatur: ſed illud eſt ſuper calefactũ, & inflammatum: ergo & ſanguis ſupercalefactus erit. Valet enim & neceſſarium eſt, quod obijciebatur illud, quod generatur ſemper eſt ſimile generanti, ſicut etiam uidemus contingere in fluxu hepatico, propter caliditatem hepatis: et proinde erunt hecticæ cũ putridis coniunctæ, & ephemeris, ob id conſequenter

peſ=

solutio

pessimæ existent. Quare manifestum iam est, quomodo possunt esse hecticæ sine putridis, & ephemeris, & consequenter possunt inflammari solida membra sine inflammatione spirituum, & humorum: sed non omnes hecticæ sunt ita simplices, imò ferè omnes de tertia specie hecticæ sunt cum putrida coniunctæ: & si fiat ista febris species, semper consequitur putridam, hac ratione si non consequitur illam, est leuis & facilis sublationis, & est potius de prima specie. Secundam uerò, et tertiam speciem dico fieri non posse eas non sequi putridam omnino: unde hoc conspicimus frequentissimè, imò ferè semper. Et ita iam sit responsum huic quæstioni, quomodo possit esse febris hectica sine putrida, & quomodo non: quomodo putrida sine ephemera, & quomodo non. Iam ergo habemus omnes differentias febrium exquisitissime, & quoad fieri potuit in tam angusto tempore.

Cap. XI. De signis febrium, & primo ephemerarum.

CVm iam uisa sit natura, & essentia febrium cum suis differentijs sponte sese nobis offerunt accidentia illas consequentia, per quæ in earum cognitionem deuenimus: Cumq; alicuius rei naturam sciuerimus, accidentia illam consequentia nobis sese offerunt sponte. Iam itaque per singulas discurramus, quod facile facturos nos non dubitamus, cum habeamus earum

rum essentiam. Erant tria principalia genera febriū: primum genus ephemerarum. Cum autem erit ephemera, quæ fundatur in spiritibus, tunc ex natura rei sequitur, quòd in illa pulsus magni apparebunt, uelocesq́ᵹ: magni quoniam uirtus fortis est: neque enim in hac febre adest aliqua causa, qua uirtus reddatur debilis: Sunt autem ueloces propter necessitatem adauctam, neque uirtus debilis est, sed supplet necessitati: nam necessitate cogitur maior facta, & inflammatione spirituū uariatur: siquidem necessitate: proinde quoque necessariò uariatur pulsus: quoniam uariata, ac mutata una illarum trium causarum uariantur quoque pulsus. Sunt autem illa tria uirtus, instrumentum, uel necessitas euentationis. Hic quidem uariatur necessitas euentandi caloris, propterea uariantur quoque pulsus. Amplius sunt frequentes pulsus: nam aucta est necessitas euentandi caloris per inflammationem, & uirtus consistit, quæ non est debilitata, & instrumentum obædit: Ergo pulsus frequens, ut suppleatur necessitas. Quare pulsus in ephemera sunt magni, ueloces, & frequentes quorum causas iam diximus. Quoad urinam, ipsa est bene concocta, sed subtilis cum aliqua lucida rubedine, quoniam ipsi humores non putrescūt. Cum autem humores non putrescunt, natura potest illos concoquere, sicq́ᵹ non commouet admodum, sed secundum quod necessarium est ad concoctionem, & cū sit uirtus fortis citò concoquit. præterea spiritus miscentur cum illa, ideo excrementum fit lucidum, cum de se

lucidi

pulsus ephimera

cur pulsus freq.

urina

lucidi ſint ſpiritus. Item per ſudorem terminantur, uel per aliquem uaporem tenuem: nam illi uapores exhalant, ſicut dictum eſt prius, quoniam calor eſt in ſpiritibus; ſpiritus autem ſunt materia quædam tenuis, ſubtilis, ſicq́; fiunt aliquæ humiditates tenues, quæ poſtea ad cutim exhalant: et proinde aut terminatur per ſudorem, aut ſaltem per uaporem aliquem exhalantem. His itaq; in cõmuni habitis poſtea ſcd̃m diuerſas cauſas efficientes, diuerſa ſequentur accidentia, & ita diuerſa erunt ſigna. Certum eſt in ephemera eſſe calorem non acrem, ſed mitem: tamen cum fuerit propter obſtructionem, calor erit acrior, quam in alijs febribus, quæ fiunt ab alijs cauſis, febribus dico ephemeris. Sed oriatur febris ex nimia mora ſub Sole ardenti, tunc uidebitis faciem aduſtam, tendentemq́; ad nigredinem quandam, concauos oculos, temporaq́; plana conſpicietis. Quando autem fuerit à uigilia ſuperflua, oculi eorum ſunt concaui, & tempora plana: ſed differunt ab illis, quæ fiunt à mora tracta ſub Sole. Nam in his quæ à uigilia fiunt, facies pallida eſt: in his uerò quæ fiunt à Sole, nigreſcit. Amplius in his etſi oculi ſint concaui, tamen palpebræ ſunt inflatæ: in illis uerò non. Nam cum non dormierint, uapores eleuati ad cerebrum non potuerunt concoqui (ſcitis enim in ſomno fieri concoctionem elaboratam) neque reſolui, qui condenſati decidunt in palpebras, & proinde tenſæ, & inflatæ apparent palpebræ. Et hoc modo per ſigna uenietis in cognitionem ephemerarum feb.

Cap.

Cap. XII. De signis putridarum febrium in genere.

CVm putrida adest febris, quoniam in ea est putredo in corpore, quæ uenenosa in se est, tunc omnes mineræ uirtutum debilitantur. Nam à putredine, ut dicebat Galenus in sexto de locis affectis concidunt, & corrumpuntur omnes mineræ uirtutum in corpore: ratio est, quia uenenum in se est ista putredo. Ex quo etiam tandem infero pro illis, qui tenuerunt pestilentes febres fieri à uenenosa quadam qualitate, quiq; si non sunt modo proterui, non malè in uniuersum dixerunt intelligentes illam malam qualitatem occultam, quam uocant uenenosam, istam summam putredinem, quoniam uenenum est: sed si aliter intelligunt, nihil dico, qui hoc modo possunt defendi, & ueriſsime: imò nihil uerius poterat dici, neque in hoc eos damnabo. Cum ergo uirtus non sit fortis admodum in toto genere istarũ putridarum, propterea pulsus non est magnus, sicut in ephemeris: sed est magnus aliquantulum, seu aliqua ex parte: neque enim ita decidunt uirtutes, ut in pestilentibus, quemadmodũ inferius ostendemus: sed aliquo modo erit magnus, quoniam aliquo modo stat uirtus in putridis: frequens quoque erit propter adauctam neceſsitatem existente calore præter naturam, & putredine in humoribus: præterea erit inæqualis, quoniam uirtus aggrauata pulsus

est, quæ æqualiter non potest mouere. Aggrauatur enim à putredine, quæ in humoribus consistit, similiter, ac si quis portaret magnum aggrauans aliquod onus unde bene, & satis diuinè Galenus aßimilabat uirtutem baiulo portanti magnū onus: ille enim cum aggrauetur non potest semper eodem modo festinare, sed inæqualiter procedit sub illo pondere aggrauante, modo festinat, ut citò deponat illud onus, quod aggrauat: sed postea deprimitur ab illo, & ita progreditur paulatim, & sensim, & non amplius ita festinat: sic quoq; putredo est onus ipsius uirtutis. Cum autem uirtus illa aggrauetur, insurgit ad illam expellendam, ut euentet calorem; sed postea ita aggrauatur, & deprimitur, ut non poßit pauxillo tempore insurgere uiolenter. Deinde iterum ualidior facta insurgit, & modo magis pulsat, modo minus. pulsus ergo inæquales hac ratione in febribus putridis fiunt. Quod autem ad urinam spectat, dico urinam fore crudam: cruditas enim apparet in urina, quoniam cum putredo fit in humoribus, tunc natura non potest concoquere, & separare humores à se inuicem, propterea urinæ in principio apparent crudæ: scitis enim quatuor esse uirtutes, & operationes in unoquoque membro, & consequenter in toto corpore secundum quod dicebat Galenus in primo Apho. Attractio, retentio, concoctio, uel separatio utilis ab inutili, atque expulsio. Cum ergo in febribus putridis concoctio non poßit ita fieri in principio propter putredinem iam

factam,

factam, hac ratione non separatur utile ab inutili: & inde urina cum excernetur, erit commista, & cruda. Præterea ex natura rei semper procedentes non esse mirum dicimus, si quando appareat in his febribus compreßio caloris: cum enim concentretur calor, quãdoque uidetur comprimi, & posteà in toto uidentur uapores cum dilatatur. præterea non est mirum si quandoq; apparet frigiditas, quandoq; rigor, quandoque horror. Nam cum materia illa extramittitur ex uenis, & infestat musculos, cumq; sit frigida, inducit frigiditatem, aliquando rigorem, secundum quod uaria est. Ideo in principio aliquarum uidebitis rigorem, in principio aliarum frigiditatem tantum, uel horrorẽ: & hæc accidentia habent putridæ in uniuersali, uel ut plurimum aliqua.

Cap. XIII. De signis putridarum in specie.

SVnt modo particulares species febrium, quæ habent particularia ac peculiaria symptomata ipsas distinguentia, prout habent uariam, & diuersam formam, à qua talia accidentia procedunt. Nam exempli gratia. Tertiana cum fiat ex putredine bilis, quæ habet exacerbare de tertio in tertium, consideran do naturam rei, uidebimus clarißimè quæ illam consequi poßsunt. Bilis est calida, sicca, acris & amara. Cum ergo in principio tertianæ .s. sui paroxysmi, (nam de hoc intelligimus) bilis transmittitur à uesica

bilis ad os uentriculi, propterea excitat nauſeam: bilis ſiquidem cum diuertit ad os uentriculi, quia acris eſt, irritat ipſum, & cum ſit exquiſitiſsimi ſenſus, propterea irritatum, & incitatum conatur pro uirili expellere, & inſurgit, indeq; facit hunc motum, quem appellamus nauſeam, & quandoque etiam uomitum. In principio itaque tertianæ apparet nauſea, ex natura rei uidetis, quomodo conſequatur hoc ſymptoma, ita de alijs quoque facietis. Cum enim bilis ſit tenuis, acris, non eſt mirum, cum ex illius putredine eleuentur uapores ad cerebrum, ſi illud mordicent, & ita inducant uigilias, inde apparent uigiliæ, infeſtanturq; ægri motu, nec poſſunt quieſcere: ualde bilis mordicat, & mobilis eſt, quia tenuis exiſtit. ideo facile dimouetur, & torquet ægrum. Sitim quoque adeſſe non eſt mirum, & ariditatem linguæ: ſicca enim eſt bilis, ex qua eſt tertiana: omnia iſta atteſtantur ſuper bilem calidam, & ſiccam: Sitim enim prouocat, pungit, mordicat, irritat, nec admittit ſomnum ægris, cauſat dolores capitis mordicando. Non eſt etiam mirum cum bilis ſit, & facilime poſsit reſolui, ſi illius paroxyſmi ſint citioris terminationis. Iam ergo uidetis quomodo accidentia ſequantur naturam, & eſſentiam ipſius rei, cuius ſunt accidentia. Cognoſcatis ergo ſemper eſſentiam eius, & ita facillime innoteſcent talia ſymptomata: iam enim uidetis quomodo cognita natura tertianæ febris, & bilis, à qua dependet, facile cognouerimus, quæ, & qualia ſequantur, & rationem cur ſequantur: illa

q sit ca uigilliarum et sitis

illa enim ſequuntur naturam rei, ſicut umbra ſequitur corpus: præterea uos amicè hortor, & candide uobis conſulo, ut tempus ueſtrum conſumatis principio, in cognoſcenda re in ſua natura, hoc eſt, in cognoſcendis illius cauſis, quæ ipſam conſtituunt. Cum autem melancholia ſit ſolidior, terreſtriorq́; humor bile, & non ita facile poßit aggregari, & putreſcere, non eſt mirum, ſi paroxyſmi quartanæ longiores ſint, & tardius inuadunt. Neque enim ita facilè poteſt reſolui, neque etiam aggregari melancholia: & ita omnia accidentia illam conſequentia habebitis ex natura eius iam cognita. Neque etiam mirum eſt in peſtilentibus febribus, quæ fiunt ex ſumma illa humorum cordis putredine, ſi in illis concidunt omnes uirtutes, ut feræ nullæ uideantur. Deficientibus enim ſpiritibus nullomodo conſiſtere poſſunt uirtutes. Deficiunt autem ſpiritus, quia non poſſunt generari ex humoribus, hoc eſt, ſanguine maxime putreſcente, ex quo illi fiunt. Cum ergo putreſcat ſanguis, & ſpiritus, qui ex illo generantur, & generati ſunt, inflammantur, ac putreſcunt etiam quadam putredine, ob id non poſſunt ſtare uires in peſtilentibus febribus: proinde pulſus quoque debilis, cum uirtus non poßit mouere fortiter. Itaque ne miremini ſi in hecticis febribus pulſus apparet debilis, paruusq́;: uirtus enim & in hac decidit, & ualde debilis eſt, cum calor exiſtat in ſubſtantia cordis, calor inquam igneus, ac febrilis: cor uerò eſt principium uitæ, & caloris naturalis. Quomodo ergo poterit eſſe uirtus ui-

talis fortis, quæ mouet arterias? Ergo pulsus parui, debilesq́; sunt in hectica. Et hæc sequuntur ex natura rei, estq́; quoque durus pulsus, quoniam solida membra posita sunt in calefacto esse, instrumentum non potest ita obedire uirtuti: frequens quoque propter necessitatem auctam euentationis ipsius caloris. Præterea urinæ apparent tenues, subtilesq́;: quia in hecticis ipsa caliditas non confertim consumit humores, sed paulatim, & paulatim in uapores resoluendo, & hac ratione non incrassantur urinæ: ista sequuntur ex natura eius, ut uidere potestis. Sed in hecticis hoc perpetuum, & sempiternæ ueritatis est, ut illam omnino indicet, etiam si non essent alia firmiora, calor à cibo excitatus: quoniam uidebitis post cœnam, aut prandium, & semper post cibum & potum calorem excitari, & sentiri magis acrem tum à patiente, tum abs tangente, ut uideatur habere exacerbationem, quam patiens aliàs non sentit. Hoc uerò fit à cibo & potu, propterea quòd superfunditur humidum, sicut quando aqua superfunditur calci, uidetis ab ea excitari calorē, quæ ante si tangebatur à uobis, erat quodam modo frigida: ita propemodum fit cum isto calore. Sed quomodo, & cur fiat id, nunc prætermittamus, ne in longum excrescat oratio, præsertim cum nos hoc loco compendium affectemus. Cum igitur naturam febrium habueritis, singula quoque signa patebunt uobis, atque ad earum curationem accedendum erit.

Cap.

Cap. XIIII. De curatione febrium.

IAm ergo satis uisum est à nobis de natura febris & in genere, & in specie: de differentijs, & causis illarum, à quibus generantur singulæ illæ differentiæ, & signa. Quibus sic stantibus non est modo difficile uobis acquirere intentiones (ut uocant) curatiuas, & consequenter ipsarum curationem. Ephemeræ ergo cum sint febres leues, & breuißimæ, non curantur per aliquod medicamentum, sed in illarum curatione tantum instituitur recta uictus ratio: non enim pertranseunt unum, uel duos ad summum dies. Recta ergo uictus ratio erit illa, quæ ægros ab his liberabit. Nam nisi istis prospiceretur recta uictus ratione, esset & immineret periculum maioris febris. Itaque occurrendum statim est cum diæta recta in sex rebus non naturalibus. Hoc in uniuersum generi ephemerarum debetur: sed si fuerint ephemeræ factæ in specie propter obstructionem adhibeantur balnea corpori, ut obstructiones aperiantur. Si autem sit ex mora sub sole, inungantur, & immergantur oleo rosaceo, quiescant, humectentur semper, et frigesiant. Nihil magni momẽti habetis in curatione ephemerarum. In putridis uero febribus quomodo procedetis? quoniam hic est putredo, idcirco ut euententur humores, ne putrescant aperiendæ sunt obstructiones factæ, causantes ipsam putredinem, postea debetis euacuare humorem peccan-

tem. Et in hoc noto illam auream, nec semper satis laudatam sententiam Auicennæ, in qua quidem etsi breuiter, & obscurè (ut illius mos est) tota istarum cura continetur. Cura putridarum est lenire aluum, & prouocare urinam. Hoc est aureum, & diuinum præceptum, & semper, ac fideliter memoriæ mandandum. Certe in hoc fuit maximus, & diuinus uir Auic. quandoque miror illius diligentiam, & ingenium: quid enim melius, & breuius dici potuit? lenire ergo oportet uentrem, hoc est, euacuare humorem peccantem, & prouocare urinam, hoc est, aperire obstructionem cum prouocantibus urinam, uel etiam sudorem. Neque oportet facere, sicut isti faciunt ignari aselli, aut potius muliones, qui neque congrue loqui, neque scribere noruntq́; : qui semper dicunt, & habent in ore, hoc est contra Auicennam, cum illum non intelligant: si gustarent eius doctrinam, fortasse non committerent tot nugas: fuit enim maximus uir Auic. Euacuare ergo humorem putridum oportet: in tertiana quidem cum proprijs euacuantibus oportet bilem euacuare, quoniam illa est, quæ peccat: sed antequam euacuetur indiget concoctione, ergo prius concoquatur: ita dicatis de omnibus alijs humoribus in singulis febribus putridis, sicut diximus in ista, cum euacuantibus illum humorem putridum procedetis, sed prius concoquendo ipsum, & præparando. Cum enim pituita putruerit, illa est præparanda per incisionem, quoniã crassa est, & attenuationẽ; per abstersionem quoq; quoniam habet

bet in se uiscidítatem: & ita pro præparatione incidē-tis, attenuabitis, & abstergetis: postea illam euacuabitis cũ proprio medicamento, uidelicet per collocynthidem, per agaricum, & reliqua, quæ omnino euacuant pituitam. In quartana autem febre cum melancholia putrescat, & illa crassa sit, incisione procedendum est. Quare melancholia prius incidenda, sed hæc incisio cum humore aliquo facienda est, quoniam melancholia sicca est: cum autem nullam in se habeat uisciditatem, lentoremq́;, nulla etiam absterſione indiget. Hac ratione uos caueatis ab illis medicis imperitis, qui in melancholia febre exhibent syrupum de fumoterræ, qui abstergit: hic uero non indigemus absterſione, solum est incidendus humor crassus: & quia est humor siccus, ideo humectandus uenit: hic autem syrupus est siccus, idcirco non conuenit, imo si daretur, magis læderet, quam iuuaret. Auicenna uero in hac febre dat syrupum acetosum, quoniam incidit hunc humorem crassum, sicut incidendus est, adæquatq́; illum: neque enim in hoc dubitat dare scilicet acetosa in quartana, & melancholica febre, sicut opinantur illi, qui negant omnino ista acetosa conuenire: putant certé, & affirmant Auicennam dubitare in hoc, quo in loco obseruandum est in Auicenna, ubi isti interpretes male exposuerunt: & forte potest dari syrupus acetosus, non est à uobis existimandum propter ista uerba in hunc modum traducta Auicennam in hoc dubitare, imò certißimus est, & dat in hoc præceptum ex natura rei

sum-

sumptum. Non dubitat, quia dicit: & forte, sed pro hoc forte intelligendum est, quod dicat & quandoque, ut sensus sit ipsius Auicennæ. Et quandoque non dubites dare syrupum acetosum: sæpius enim uidebitis apud Auicennam talem sermonem, sicut ego sæpissime adnotaui in illo. Non dubitat ergo Auicenna, sed dicit quod quandoque conuenit talis syrupus, & hoc totum prouenit propter istos malos interpretes: ita iam uidetis clarissime quomodo in putridis febribus procedendum sit: nam aperiendum est, euacuandum, & præparandum: in pestilentibus uero longe aliter procedetis: nam in his non amplius euacuatis, sicut in illis. Caueatis omnino à sectione uenæ, atque ab euacuatione quacunque, hoc patet si recte intellixistis iam earum naturam. Nam si statim totum illud bonum in uenis contentum, in quo consistit uirtus, euacuetis, extrahetis illud parum boni, quod reliquum est, sicq; statim morientur. Euacuatio ergo in pestilentibus febribus est mors ægri, nihil aliud profecto, quoniam statim moriuntur. Sed quid facietis dimissis omnino euacuationibus, attendetis confortationibus, & procedetis cum exiccantibus, & prohibentibus putredinem: attendetis omnino remotioni putredinis. Exiccabitis ergo, et ita confortabitis corpus, & omnia illius membra, ut cum rosis prohibebitis putredinem, camphoram, Sandalis, & terra illa sigillata, ac bolo armeno quem isti appellant glebam Armeniacam. Maxime enim ista resistunt putredini, & in hac febre hoc præcipuum

puum intentum est, ut remoueamus ipsam. Obijciunt uero nonnulli scioli, & ardeliones pessimi, quod hæc nullo modo conueniant in febribus pestilentibus, quod quidem probant: sunt astringentia: ergo non conueniunt. Ratio est, quia in his febribus maxima putredo est: hæc uero putredo facta est propter obstructionem, modo si remouenda est putredo, quam ut remoueamus indicatur à natura rei, certe sequitur, quod debemus aperire obstructiones: si autem utemur his astringentibus non modo magis augebimus obstructiones, sed consequenter etiam ipsam putredinem. Pro solutione huius dubitationis obseruandum est, & sane diligenter, quia multi sunt, qui fortasse decipiuntur à falsis præceptoribus, dico secundum Galenum, & ueritatē, & rationem dictantem, et experientiam, ista conuenire, imò nihil præstantius inueniri, nec excogitari potest, totaq; cura stat in his. heus bone uir non agis, quod astringunt. Dico quod ista exiccant, et exiccationem maxime desideramus, habentq; cum hac coniunctam astrictionem quandam, paucam tamen, quæ magis facit ad apertionem, & adiuuat illorum penetrationem ad prohibendam putredinem internam. Et ego dico quia sunt parum astringentia, maxime conueniunt: exiccatio enim in illis uincit ipsam astrictionem. Quo in loco ut sitis omnino resoluti, & distincti debetis adnotare, quemadmodū illa, quæ astringunt, sunt in multiplici differētia: quædam enim astringunt, in quibus siccitas dominatur astrictioni, & ista non

non solum non coarctant, seu constipant, sed etiã aperiunt. illa enim modica astrictio magis confert ad penetrationem illorum, & ita cum magis exiccent, magis quoque postea aperiunt: alia uero astringunt, in quibus maior est astrictio siccitate, & hæc coarctant, et adaugent obstructiones: quædam uero sunt astringentia mista, & media, ita ut æqualia sunt inter duo extrema distantia: tantum enim exiccant, quantum astringunt. Omnia ergo astringentia sicca sunt, sed quædam magis, quædam minus. Quando autem damus nos astringentia in febribus pestilentibus ad prohibendam putredinem, & confortanda membra, damus illa, quæ superant in siccitate, & non in astrictione: nam huiusmodi aperiunt obstructiones, & ita curamus magis illam paucam astrictionem. Illa autem quæ sunt æqualia, aut quæ magis astringunt, quam exiccant, non conueniunt: neque nos dicimus illa conuenire, neque unquam dixit id aliquis bonus practicus. Isti autem ignari, male arguunt contra nos de his ultimis, de quibus diximus esse minime intelligendum. Quare præparetis uobis in his febribus astringentia ista, ut aquam ferri, hoc est, in qua limatura ferri sit decocta. Nam etsi illa astringit, siccitas tamen præualet astrictioni, propterea aperit obstructiones membrorum hepatis scilicet, & lienis. Siccitas enim secundum recentiores etiam ad apertionem facit. Quare nos commodissime exhibemus ista, quia exiccant, & magis deligimus ea, quæ coniunctam habent moderatam astrictionem,

in feb. pest. | primus aq. decoctis limatura ferri

Siccitas aperit

ctionem, quia inde habent maiorem penetrationem, per quam magis aperiunt, quæ remedia optima fore, quotidiana experientia discimus contra istos pertinaces, & ignaros. Vnde doctissimum Galenum, & nunquam satis laudatum uidemus dare bolum armenum in sua magna pestilentia, de qua mentionem facit sæpe, & inquit omnes illi, qui tunc sanati sunt, merito huius boli sunt sanati, qui astringit, sed parum. Neque dicatis sicut illi dicebant, quod illa magna pestilentia Galeni fuit non ex putredine extrinseca humorum, sed ex ipso aere solum alterante, hoc iam superius confutatum est à nobis. Coniungatis dicta Galeni in sexto Epid. & in decimo therap. Et ita perfecte intelligetis, num somnient necne? quia dicit Galenus illam fuisse ab aere, quæ causa est uniuersalis: propterea quæro ab illis, ualet ne? Ergo non fuit ab intrinseca putredine? Certe nescio ubi habent cerebrum: dico quod propterea non est concludendum non fuisse factam putredinem interius: quoniam aer fuit causa uniuersalis, qui inspiratur, corrumpebat humores, & substantiam cordis, sicq; ex summa illa putredine sequebantur pestilentes. Neque enim potest alio modo fieri, nisi existat actu illa summa putredo. Quare ut prohibeatis, & remoueatis ipsam dabitis exiccantia, & astringentia in principio mediocriter scilicet, ut sunt rosæ, cichorium. ideo optime isti exhibent syrupos exiccantes, ut de cichorio, de enduuia, de corticibus citri, & ipsummet cichorium, infusionem rosarum, et rosas etiã,

& mul=

& multa alia, quæ potestis uidere, & legere: ista omnia sunt astringentia, sed tam parua astrictio est, ut illa iuncta siccitati magis adiuuet penetrationem: & ideo magis aperiunt. Ratione ergo apertionis maioris damus in febribus pestilentibus astringentia, quæ tamen minus astringant, quam aperiant.

ET ita habetis breuissime totam curationem ipsarum febrium, tempus instat, ac urget ne amplius protrahamus sermonem, utinam temporis hæc incommoditas non obsisteret, uideretis quanta potest MONTANVS mentibus uestris imprimere, quantum ualeat suus modus docendi.

Bene ualete, & Plaudite.

QVÆSTIO IO. BAPTISTÆ Montani de febre sanguinis.



Vm proposuerimus nudius tertius propter omnium uestrum utilitatẽ, ne forte uos ſẽ deciperemini quã doque ab iſtis in rebus altisſimis nos pertractaturos quæſtionem illam magnam de febre à ſanguine: ſunt enim multi dies, quod hanc noſtram opinionem non replicauimus; neque enim puto hic eſſe unum ſcholarem, qui me audierit tunc legere, propterea nunc uolo illam replicare breuisſime. Et in hoc duorum alterum facietis, aut me intelligetis, aut non intelligetis: ſi me intelligetis, uidebitis quoque me uobis per ſuadere hanc ueritatem, tanquam Demoſthenem; ſinautem me non intelligetis, ueſtrum omnium erit incommodum, ueſtraq; olim in utilitas: ſed teneatis quid uultis, non poſſum poſtea aliud præſtare. proponatur ergo hoc mõ iſta quæſtio: utrum detur febris à ſanguinis putredine? propoſito titulo quæſtionis iſti, qui ſunt Galenici, & uocant ſe imitatores Galen. ſemperq; in ore habent eum, nihil dicunt, niſi quod aſſerunt Galen. tenere: debent quoque iſti imitari morem Galeni, & illius doctrinam, atque ordinem in proponendis quæſtionibus, atque illis tractandis, ac diſſoluendis. Dicebat enim ille, quod quotieſcunque propoſuerimus aliquam quæſtionem pertractandam, debemus primo diſtinguere tum ſubiectum,

tum

tum ipsum prædicatum si sit multiplex, & maxime il la intelligere: nam nisi hoc fecerimus, frustra laborare mus in quærenda inhærentia illius prædicati ad subie ctum. & ideo nos quoque cum proponimus hanc quæ stionem sub titulo iam formato debemus primo distin guere, & declarare terminos tum subiectum inquam, tum prædicatum ipsius propositionis. primo itaque ex parte subiecti, idest, febris dicebamus nos an detur fe= bris &c. debetis scire, & diligenter aduertere, quod febris non est nomen simplex, imò est multiplex: ideo debemus illud distinguere: ne sorte decipiamini: primo enim est illud tertium genus notum omnibus. diuidere autem primo febrim in ephemeram, putridam, et hecti cam: sed quoniam in quæstionis nostræ inscriptione diximus utrum detur febris ex putredine? sustuli= mus propterea hanc multiplicitatem, iamq; ostendi= mus nos quærere de febre putrida. ideo debemus ad= huc inquirere multiplicitatis distinctionem. sciatis au= tem febrium alias esse continuas, alias uero interpola tas. ideo cum quærimus, et pscrutamur de hac febre, de bemus uidere an de continua? an de interpolata omni no intelligamus? deinde quoniam dicitur in titulo quæ= stionis, ex putredine, quoad prædicatum debemus uide re, an hoc nomen sit simplex, an uero multiplex? putre do etenim non est simplex, imò sunt illius quatuor gra dus: nam illud, qđ putrefit primum super calefit, deinde ebulit, deinde pars istius subtilis putrefit, postremò pu trefit eius substantia, & pars crassa. Quatuor itaq; isti

putrēdo mul tiplex nā ipsius sunt 4or. gradus

isti gradus sint à nobis considerandi: ista distinctio non est mea, quoniam nunc nihil nec dico, nec addo de meo, nihilq́; imaginor, nisi quod est scriptum replico. Gal. hoc dicit ipse uos docet hanc ueritatem: nam in secundo illo lib. de differentijs febrium cap. 9. dicebat, quod sanguis cum putrefit patitur ista quatuor, & quatuor istos gradus pertransit, ubi ipse proponebat de proposito hanc quæstionem, & dicebat, quod quando sanguis putrefit primo supercalefit, sicq́; ab eo supercalefacto fit febris ephemera solum: in illo enim est inflammatio, & calor igneus, & hoc est primum genus ipsarum febrium, primusq́; gradus in putredine. declarabat quoque hoc ille idem Gal. in nono therapeutices cap. tertio quarto, & quinto: cum autem supercalescat sanguis, & non remoueatur illa inflammatio procedente tempore fit illa synocha febris sine putredine media tum inter ephemeram, tum inter putridam, & sic ex inflammatione, & supercalefactione sanguis ebulit, & est secundus gradus in putredine; nisi autem occurratur, & quidem per sectionem uenæ usque etiam ad syncopen, tunc fit synocha cum putredine, & ex ebullitione sanguis incipit putrescere: sed quando duplex est pars ipsius sanguinis, sicut habetis ab eodem Gal. in secundo de differentijs febrium. cap. illo nono. nunc enim authoritatibus agendum mihi est, nihil proferam de meo, omnia sunt Gal. quæ dicentur, sed ad rem omißis uerbis quibuscunque: alia etenim est pars subtilis, alia uero crassa: illa subtilis pars cum pu-

trescit uertitur in bilem, sicq; fit synocha cum putre-dine, & sic habetis tres gradus iam putredinis à Gal. quid faciunt tres gradus istius febris à sanguine. Cũ uero putrescit illa pars crassa sanguinis & tota siue, ut ita dicam, omnimoda illius substantia fit quartus gradus putredinis, & est febris pestilens, qui quidem quartus gradus an concedendus sit uidebitur clarius inferius. primus ergo gradus cum sanguis supercale-scit, est cum ephemera solum fit: secundus cum ille ebullit, & fit synocha sine putredine; tertius gradus cum pars subtilis sanguinis putrescit, & sic fit synocha cũ putredine: quod si putrescat illius pars crassa fit pestilens febris, & est quartus putredinis. dicebamus postea, sanguinis, in titulo quæstionis: debetis ergo aduertere quod sanguis non uno modo solum accipitur, sed multipliciter considerari, & accepi potest: uerum alia illius significata dimittamus, nunc quod attinet ad rem nostram accipiamus. dupliciter ergo nunc sanguis accipi potest: uno quidem modo sumitur pro ipsa substantia sanguinis, quam uocamus partem crassam, & purum sanguinem sine alijs humoribus existentem, illumq; syncerum humorem, qui dicitur nunc à nobis sanguis: alio modo sumi potest sanguis pro tota massa humorum, prout alij tres humores sunt cum illo permisti, & de hac massa loquitur Gal. imò & ipse Hipp. in toto primo lib. de natura humana: sed ille purus sanguis nõ inuenitur in rei natura: nunquam enim separatur ab alijs, neque in actu existit sine istis permistis:

mistis: sed per nostram imaginationem separamus illum sanguinem ab humoribus tribus, & intellectu sic illum percipimus potius, quam in rerum natura simplex inueniatur, quoniam hoc est impoßibile. iste itaq; accipitur pro sanguine illo. i. tota illa massa humorũ quatuor, & hoc modo consideratur à medico cum iste solum in rerum existentia, & natura reperiatur: ille uero potius imaginarius sit quoad existentiam: sed ultra modo procedatis: istius sanguinis sic accepti sunt duæ partes principales quantum ad propositum attinet: nam habet aquositatem, & serositatem quandam, quæ à græcis appellatur ἰχὼρ & ὀῤῥός: Gal. enim sæpe utitur hoc nomine ὀῤῥὸς, & si Hipp. frequentius, ἰχῶρα, illã nominet, quam Gal. & hæc pars aquositas appellata, seu serositas, quomodocunque dicatis non curo, nunc non solum reperitur in sanguine, sed etiam in omni genere succorum, quod habetis à Gal. in illo tertio de simplicium medicamentorum facultatibus. cap. quinto: dicebat certè ibi Gal. quod omnes succi habent quoddam serum; quod quidem multum aptum est ad putredinem. dicebat enim formaliter sic habere aptitudinem summã ad putrescẽdum, propterea oportet cum uolumus succum, si debet durare, ut nos ebulliamus illum, & decoquamus: nam per decoctionem illam separamus à substantia succi aquositatem, & serositatem, per quam potuisset facillime corrumpi, & putrescere, sicq; saluamus succos, qui durant per longum tempus, qui tñ si cum illa serositate relinquerentur, non

durarent. signum firmißimum illud esse nobis potest, quod omnes illi, qui incolunt picænum, decoquunt aliquomodo suum uinum, alioquin non perduraret tam longo tempore, nisi illud decoquerent aliqua decoctione: nã per illam ab ipsius substantia separant suum serum, per quod aptum erat facillime putrescere, sicq; putrscere uidemus illos succos citò, qui non acceperunt decoctionem. uinum itaq; cũ habeat illã aquositatem facillimè acescit: nam cum illa putrescit solùm acidum fit, & quandoque ita acidum, ut omnino fiat acetum: sed si corrumpatur, & putrescat in propria substantia non amplius acescit, sed omnino naturam suam amittit: sicq; clarum est, quod in quolibet succo per Gal. est quædam pars subtilis, quam nunc uocamus ichorem, & serositatem. quod autem illa serositas quoque sit in sanguine uideatis Gal. nolo enim in hoc esse fugitiuus, imò uolo, quod omnia à Gal. habeatis, quæcunque dicam. nam in lib. suo de atra bile dicebat apertißimè in sanguine esse quandam partem subtilem, & aquosam, quam uocat serum; neque est substantia sanguinis, illamq; uidemus, inquit ipse, in extractione sanguinis: nam per sectionem uenæ cuiuscunque hominis sanguis extractus habet quandam serositatem separatam à substantia illius, & ista serositas neque est sanguis, neque bilis, neque phlegma, neque melancholia, sed est pars separata ab illis tanq̃ serum in lacte, hoc modo formaliter loquebatur. Et hanc quidem aquositatem antiquißimi medicorum uocabant phlegma: nã illc

ōis notandũ

ille uocabant quemcunque humorem, & partem crudam phlegma; & bene aduertatis, quoniam dicam unum obiter: illud tamen phlegma distinxerunt ab aquositate, & serositate illa Hipp. & posteriores medici phlegma serositatem illam uocabant. Et pituitam quoque medici phlegma appellarunt, quoniam sit apta ad inflammationem, & facilime poßit incendi. quantum ad aptitudinem suam, nam tractum est propterea nomen hoc phlegma ἀπὸ τοῦ φλέγεσθαι.i.ab inflammari: nam φλέγομαι inflammor significat. quoniam ergo pituita, & illa aquositas sint apta ad putrescendum, ideo dicuntur plegma, & hanc etymologiam quærens Gal. nunquam sciuit inuenire, ista sint breuiter dicta, cum nihil ad propositum nostrum faciant. itaque hic aduertatis, quoniam uolo quod omnino intelligatis istã rem. quod enim sit serositas in hoc sanguine, uideatis Gal. in secundo de differentijs febrium in eadem quæstione proposita, ubi loquebatur de pleuritide, & dicebat, quod si sputum quod excreatur, sit spumosum signum est in apostemate putruisse phlegma: si citrinum & flauum bilã ipsam, si rubrum sanguinẽ, si nigrum melancholicam serositatem. & uidete quomodo hoc clare dicat ibi Gale. Sed & longe clarius hoc idem habetis à Gal. in sexto epidemiorum commentatione secunda ad medium illius, ubi recitabat hoc ex Platonis sententia. nam Plat. in Thimæo, & postea Gal. & Hipp. illum laudans, & si Hipp. fuerit ante Platonẽ, dicũt serositatem sanguinis esse dulcem; serositatem au

G iij tem

Gal. [illegible]

tem bilis, & melancholiæ acrem: ratio est, quoniam sanguis est dulcis, & bilis, & melancholia sunt acres humores: modo serositates sunt eiusdem saporis, & sequuntur naturam ipsorũ humorum, à quibus fluunt, ut breuiter dicamus. Ecce ergo quomodo ipse quoque Plato cognouit serositatem sanguinis aliam esse à substantia ipsiusmet sanguinis. Præterea nonne uidetis, quodcunq; corpus putrescens habere suam serositatem? si enim torreatis carnes, uel aliquod aliud corpus uidebitis exire illam serositatem. Et uultis hoc clare perspicere, uideatis Gal. secundo de facultatibus naturalibus cap. ultimo, ibi dicebat Gal. formaliter ferè, omnis humor in corpore animalis habet propriam serositatem, & si illam non haberet melius esset: nam ex illa accipit quisque nocumentum. Et notate hoc, quoniam hinc soluetis contradictionem, dicit quod melius esset unumquemque humorem esse sine suis ichoribus cum unusquisque illos habeat, imò dico ego, quod nõ solum non esset melius humores esse sine illis ichoribus, sed et nocumentum afferetur corpori, si illi deficerent: corpus enim male, & peßime ualeret, si humores non haberent proprias serositates. uidetur ergo quod sit contradictio in hac re. notate solutionem huius apparentis contradictionis, quam de me non dabo, sed dat ipsemet Gal. in quarto lib. de usu partium cap. quinto: dicebat enim ibi Galen. quod nisi esset serum sanguis non posset transire ad ipsa membra nutrienda. ideo non solum utile est huiusmodi serum, sed etiam necessarium.

pulchre notatu

Verùm cum iam deductus est sanguis ad membra ipsa, quò tendebat illud serum, postea repellitur tanquam excrementum ad urinam: in his dictis uoluit illam contradictionem soluere: nam quantum ad ipsum nutrimentum inutiles sunt serositates humorum. nam cum deductus est humor ad membra expellitur tanquam excrementum, & inutile ad nutritionem illorum membrorum, & hoc modo tollitur contradictio; propterea quòd utiles sunt, imò necessariæ serositates: quando deducunt humores ad membra. cum uero iam illi sunt deducti melius esset, quod carerent illis ichoribus, quoniam non sunt utiles ad nutriendum. ostendimus autem latißime has serositates utiles, imò necessarias esse humoribus, alioquin pituita crassa, neque sanguis possent adire ad membra singula nutrienda: facillime enim isti humores craßi cum sunt permisti cum his subtilioribus partibus, & serositatibus fluunt, & permeant ad loca, & ad membra quæ nutriri debent: hoc uidimus anno elapso cum de illis nobis esset propositum. iam ergo habemus declaratum titulum quæstionis huius: habemus enim quotuplicìter dicitur febris, quot gradus ipsius putredinis, & febris ex illa putredine, quomodoq; sunt partes duæ sanguinis, quæ putrescere, & quomodo in unoquoque succo non solum in sanguine est proprium serum. nunc modo his expositis ueniamus ad corpus quæstionis. Quærebatur autem utrum febris ex putredine sanguinis detur? Dicimus quod ista quæstio aut quærit

de febre continua, aut de febre interpolata? primo loquamur de interpolata, postea de continua. si quæritur de interpolata uno duorum modorum: uel enim interpolata quia habeat acceßiones, & paroxysmos tertianæ de tertio in tertium, uel quartanæ de quarto in quartum, uel sine illis acceßionibus vel tertianæ, uel quartanæ. sed solum interpolata cum suis acceßionibus distinctis, & paroxysmis. Quod quidem detur interpolata ex putredine illius concedimus: nam sciuistis antea ab istis, qui legunt uobis praxin, & febres hoc anno, quemadmodum materia putrefacta intra uenas est causa continuarum febrium: putrefacta autem extra uenas est causa interpolatarum. cum ergo sanguis putrefieri poßit extra uenas, & putrefiat, ideo ex illo fiũt febres interpolatæ. dicebat enim Gal. quod quãdo sanguis extra uenas est, statim putrescit. si quid enim aliud putrescibile est, sanguis quidem talis esse dicitur, cum est extra uenas: nam est calidus, & humidus: ideo præparatus ad putredinem cum non regitur à natura intra uenas. & ideo in his febribus fiant apostemata illa, quæ φλεγμονώδη appellantur, quæ fiunt ex putrefacta materia sanguinea: signum manifestisſimum est illo sanguine sic putrefacto extra uenas fieri posse febrem interpolatam: hoc non est dubium certe, imò concedendum à quolibet est. determinat enim illud Gal. cum nunc loquamur secundum illius opinionẽ, & ueritatem in secundo de differentijs febrium in eadem quæstione in hoc conuenire debemus,

sed

hoc tradit Gal. 2 de diff. feb. cap. 12

sed cum detur interpolata febris ex putredine sanguinis extra uenas, prout dicit massam humorum: quæritur nunc, an ista febris habeat paroxismum diuersum à paroxismo tam tertianæ, quam quartanæ, & pituitosæ? an uero eundem cum illis? nam cum putrescit bilis facit febrem habentem paroxismos de tertio in tertium: cum melancholia de quarto in quartum: cum pituita quotidie. quæritur ergo an ista febris habeat paroxismum diuersum à paroxismis istarum, ita ut detur quarta species accessionum: an uero habeat eundem paroxismum cum paroxismis illarum? ad hoc modo respondeo, quoniam ista est principalis quæstio in hac materia, & hanc quæstionem intendebat Gale. loco citato, nos quoque intelligimus eandem cum quærimus an detur febris ex putredine sanguinis, quæ habeat contradistinctum paroxismum ad paroxismos aliarum febrium interpolatarum? an uero eundem, hoc est quod quærimus, quoniam non est dubium, an detur febris interpolata ex putredine sanguinis: nam ille extra uenas potest putrescere. Respondeo et inquio ego cum Gale. quod concessa febre ex putredine sanguinis non propterea uariamus ideas, & species ipsorum paroxismorum, imò totidem relinquimus: neque enim addimus quartam speciem; quod hoc sit uerum, uideatis. iam diximus sanguinem habere duas partes, & hoc satis probauimus tum rationibus, tum autoritatibus Galen. aliam subtilem, aliam crassam. cum ergo illa pars subtilis putrescat, fit quidem

dem febris interpolata: si extra uenas illa putrescat, & habeat accessiones, ac paroxismos non eos, qui sint distincti ab ipsis paroxismis cæterarum febrium, imò habeat eosdem paroxismos cũ ipsa tertiana, cum hoc tamen quod habeat paroxismos tertianæ fit ex putredine sanguinis. nam in illa quidem fieri abscessus, & apostemata, quæ fieri solent ex materia putrida sanguininea; ut phlegmonæ: maxime enim conuenit, & proxima est ista pars subtilis bili: propterea non est mirum, si cum ex eius putredine fiant febres, habeant quoque paroxismos eosdem cum bile: in habentibus enim symbolum facilior est transitus. ideo cum ista pars serosa & subtilis putrescit, facillime & statim fit sub natura ipsius bilis: sunt etenim quidam cõtermini bilis, & serositas sanguinis fere eiusdem naturæ, ita ut si serositas sanguinis paululum immutetur, statim fiat bilis: sed cum putresit pars illa craßa, & ipsa substantia sanguinis crassa, inquam, propter multos uillos in ea existentes, & fibras multas fit febris postea continua, quæ tamen habeat exacerbationes ipsius melancholiæ, & maxime detestabiles sunt istæ febres: in ipsis siquidem fiunt carbones, apostemata detestabilia. nunc itaque sufficiat hæc dixisse hucusque cum post dicturi simus istam febrem habere exacerbationes, & paroxismos melancholiæ, quoniam clarius etiam uidebitur inferius statim, quomodo sint istæ exacerbationes. Quare ex iam habitis habemus clarissimè, quod fit febris ex putredine sanguinis, quæcunque duarum

istius partium putrescat;una quidem,quæ habeat paroxismum tertianæ, altera exacerbationes quartanæ. ideo non multiplicamus paroxismos,et hoc est, qđ uolebat scire Galen.ut dictum est, cum quærebat an detur febris sanguinis in illa magna quæstione.quis enim dubitat,quin detur cum iam uisum sit, quod putrescere potest extra uenas:sed uolebat ipse dicere, quod siue illa,siue hæc pars sanguinis putrescat, & fiat ex illis febris non diuersificantur paroxismi: nam cum pars subtilis sanguinis putrescat propter proximitatem,statim uertitur in bilem:eam ob rem habet paroxismos tertianarum febrium.in hocq; malè & ignarè reprehenditur Gal.ab Auic.qui male illum intellexit,uel male uoluit saltem intelligere. An modo detur febris ex putredine solius sanguinis pro ut accipitur sanguis purus non commistus alijs humoribus syncerus,& solus sanguis,& febris quidem interpolata, Ab aliud est quærere: nunquam enim hoc inuenietis, ut solus sanguis putrescat,reliquis tamen humoribus tribus saluatis:hoc nanque fieri non potest,ut sanguis purus ab alijs tribus humoribus separatus putrescat: sanguis enim tam amicus est naturæ,& à natura adeo diligenter custoditur,ut ab ea non derelinquatur, & ad putredinem tendat: alij tamen humores ab illa eadem natura custodientur.Si daretur hæc febris, uidete quid consequeretur:nam si daretur sequeretur qđ ipse Galen.manifestissimum dixisset mendacium in illo 9.therap.in cap.2.cum dixit tunc fieri febrem synocham

nocham ex putredine ſanguinis cum omnes humores, formaliter dicat ſiue æquabiliter, ſiue æqualiter (quomodocunque dicatis non curo nunc) putreſcunt. Ecce quomodo intelligit ſanguinem pro tota maſſa; non autem pro illo puro. ergo falſum ibi dixiſſet Galen. Amplius ſi hæc febris fieret ſynocha ex putredine ſanguinis puri ſine putredine aliorum humorum, hoc eſſet contra naturam, quia ſi ſanguis putreſceret, & alij humores nõ; tamẽ ſanguis purus nunquam putreſcit, niſi alij putreſcant: & quia febris à putredine ſanguinis tenuisſimam habet putredinem, neceſſario probabile eſt, ut ſolus ſanguis putreſcat. deinde quoque a priori ſic oſtẽdimus: ſi enim daretur hæc febris, tolleretur omnino ordo ipſius naturæ, quod non eſt dicendum, cum ſit impoſſibile: ſcimus enim naturam perpetuo ſeruare hoc, ut cum debent putreſcere humores propter aliquas magnas cauſas, puta intra uenas primo putreſcit ignobilior humor omnibus, quoniam illum primo relinquit natura: ſemperq́; ipſa cuſtodiã quærit ipſius nobilis, & qui magis eſt illi amicus. quamobrem antequam putreſcat ille nobilis, illumq́; dimittat natura putredini, primo putreſcent ordine quodam ignobiles humores non tam chari & amici ipſi naturæ. Quapropter maxima cauſa requiritur, ſi ſanguis putreſcere debeat: nam ipſa natura ibi ponit totum ſuum conatum, nolletq́; omnino relinquere putredini tam charum, tam utilem humorem, cum per illum ſuſtentetur, imò omnes quidem uellet ſaluare: ſed cum non poſ

ſet

ſet incipit relinquere ignobiliorem. ſi adhuc non poſſit ſuſtinere, relinquit alium minus ignobilem: ſi adhuc non poteſt illum regere, qui reſtat ignobilis, tamen minus dimittit ipſum. ut omnino ſeruare poſſet nobiliorem, & ſibi amicum. iſte ergo ultimus erit in putredine: ſeruat enim illum natura quoad fieri poteſt; ſi maxima putredo acceſſerit, tandem illum dimittit in uita, & difficillime. ecce ergo quomodo non putreſcat ſanguis, niſi fuerit in humoribus tam magna putredo, ut uincat ipſam naturam, & propterea uidetis quomodo, ſi eſſet uerum, ſolum ſanguinem poſſe putreſcere ordo totus ipſius naturæ inuerteretur, cum primo nobilior humor ſanguis, poſtea minus ignobilis: quod eſt ridiculum primo naturam dimittere charum, & amicum humorem, ꝑ quem ipſa ſuſtentatur, & alios ſeruat; ſed ſi non uultis credere rationibus iſtis, & ipſi ueritati, credatis ſaltem Gale. ſi in illius doctrina uerſamini; dicebatq; formaliter ipſe tunc eſſe febrem ſanguinis ſynocham cum putredine, cum æquabiliter omnes humores ſimul putreſcant: ſi enim ſanguis ipſe putreſcit, qui eſt tam amicus naturæ cum pro illius cuſtodia, & conſeruatione faciat omnem conatum, quanto magis putreſcent alij humores ignobiles. ſi .n. de quo minus uidetur tū ineſſe, quanto magis & de quo magis uidetur: non uideo profectò hic aliquam excuſationē. dicetis in plethorico, ſicut ſupra eſt uiſum, eſt maior abundantia, & copia ipſius ſanguinis. ergo ille erit, qui putreſcet magis, ſicq; ex illius ſola putredine

dine fiet febris. ad hoc dico modo, quod in plethorico si maior copia est ipsius sanguinis, maior quoque & fortior est uirtus: nam cum copia sanguinis stat fortitudo maior ipsius uirtutis. quantò etenim magis est de sanguine, tanto est uirtus potentior illum regulare, et sic non dimissus à natura non putrescet solus. si modo mihi dicatis de maßa illa sanguinis uos intelligere in quæstione, iam patet, quod possunt in illa fieri omnes quatuor gradus putredinis, & consequenter quatuor febres. primo enim ex super calefactione omnium humorum simul fit ephemera illa, deinde ex eorum ebullitione synocha sine putredine, deinde ex putredine ichorum suorum, & serositatum synocha cum putredine. Postremò ex putredine partis crassæ illorum humorum & propriæ substantiæ fit aliud febris genus supra nominatum. sed cum dictum sit de illis, quæ fiũt sine putredine satis abunde, dicamus modo de illis quæ fiunt cum putredine. dico autem non cum putredine solum ipsius ichoris, sed substantiæ quoque crassæ omnium humorum poße putrescere serositates, & ichores ipsius sanguinis: non dico solum sanguinis puri, uerum etiam totius massæ sanguineæ, in qua commisti sunt omnes humores simul, & sic fit febris synocha interpolata. Quod probo tripliciter: primum demonstrationibus à priori, & ex natura rei: deinde à posteriori, & ab effectu, atque signis: tum autoritatibus, ut illi qui nolunt credere rationi, credant hominibus. primo ergo a priori & ex natura rei uideamus quo modo

Notanda gradus putredinis

modo fiat synocha febris cum putredine: primum enim ab obstructione meatuum cutis cum non poßint transpirari, & euentari illi humores supercalefiunt, & sic fit febris ephemera, ex qua quidem super calefactione, nisi occurratur, deueniunt in eorum ebullitionem, & fit febris synocha sine putredine: si magis procedat illa ebullitio incipiunt putrescere serositates humorum, & sic fit synocha cum putredine. nam serositates sunt aptæ, sicut diximus, maxime ad recipiendam putredinem, & tum aptæ, cum sint in unoquoque succo, nisi ebulliamus succum illum, & decoquamus durare non poßit: quoniam in illa aquositate, & sero facillime accenditur putredo. cum ergo sint primæ istæ serositates humorum, quæ putrescunt, relinquitur ex illarum putredine fieri febrem synocham putridam. Præterea quod ipsi ichores primo putrefiant, uideatis illud, quod magis aptum, & dispositum ad putredinem primo putrefit: scimus enim quod natura non facit saltum in suis actionibus, sed de extremo ad extremum per ipsum medium procedit. cum ergo ipsum serum humorum sit magis dispositum, & aptum ad ipsam putredinem, quã humorum substantia, relinquitur illud esse primum, quod putrefiat; postea ipsa substãtia humorũ. si ergo primo putrescit ex illius putredine fiet febris synocha, quæ distincta est à febre illa cum putredine partis crassæ humorum. uidetis quomodo probauimus apriori: quod etiam amplius, & tertio probare possumus ex modo ipsius uirtutis, & illius

natura,

natura,ac ordine:uirtus enim ſemper magis ſollicita eſt de ipſo ſanguine conſeruando, & cuſtodiendo, quã de ipſa ſeroſitate;per illumq; permanet in fortitudine, & ſuſtentatur. ideo cum uelit permanere eſt ſollicita plurimum de ipſo fundamento.cum itaque contraria ipſa putredo accedit in corpus humanum, & natura iſti reſiſtere in totum non poteſt,ſemper relinquit prius id,quod magis illi uile eſt: ideo primo dimittit ichorem putreſcendum, poſtea ſi maior fiat putredo,& maxima quidem tunc inuita dimittit quoque ſubſtantiam humorum. ergo primo putreſcunt ipſi ichores ante, quam putreſcant humores,quos nũc ſanguinem nominamus, & ſic a priori probauimus iam,quomodo ex putredine ichorum datur febris ichorum dico ipſius ſanguinis. nunc reſtat ut a poſteriori idem comprobemus,hoc eſt, ab ipſis ſignis, & hic ſunt maxima argumenta,quæ fugi non poſſunt, cum ueritatem indicent: ſynocha enim parum durat; uel enim uſque ad ſextum, uel ad ſeptimum omnino protenditur:quod ſi eſſet à putredine ſanguineæ ſubſtantiæ,tunc multò longiori tempore perdurat. præterea nonne terminatur per ipſum ſudorem? certum hoc eſt,non ipſius ſudoris materia eſt iſta ſeroſitas ſanguinis:ideo cùm expellatur illa putredo, terminatur iſta febris.quid clarius eſſe poteſt? cum ſigna demonſtrent omnino ipſos ichores putreſcere in hac febre. præterea in hac febre dicebat Gal. eſſe calorem nõ mordacem,ſed mitẽ,halituoſumq;: modo mordacitas caloris

funda=

fundatur in materia crassa, mitis uero calor fundatur in subtili. ideo signum hoc demonstrat in febre synocha primo fieri putredinem ichoris, antequam putrescat substantia sanguinis, ex illaq; putredine fieri febrem synocham. Præterea hic sunt pulsus magni, imò maximi, ualidißimi, frequentißimi, uelocißimi, uirtus maxima, & fortißima. Verũ fortitudo uirtutis non stat cum putredine sanguinis, in quo fundatur, imò magis debilitaretur, sed cum substantia ipsius sanguinis prius putrefiat, nonne omnino uirtus decũbit? ideo dicimus seruata substãtia istius primo putrescerere ichorẽ eius, quamobrem, in hac febre stat fortitudo uirtutis. pulsus aũt sunt magni, quoniã inest multa humiditas: atq; cũ ipsa arteria est humida, fiunt pulsus magni; sicut uidebimus in nostro tractatu de pulsibus, cum loquemur de illorum causis. uidete ergo quomodo omnino ueritati consonent, signa demonstrant, rationes confirmant: sed neque Gal. ab hac ueritate dissentit. Quare tertio uolo ponere authoritates ipsius si non uultis persuaderi rationibus, istis saltem effectibus persuadeamini à Gal. primo ergo habetis Gal. in illo eodem cap. ix. lib. ij. de differentijs febrium, ubi dicebat continuarum quædam cõtinuæ, quæ synochæ dicuntur, quædam continuæ nomine generis: utraque fit à bile. quomodo ergo distinguetur? Verum ad hoc in secundo de crisi cap. sexto satisfactum est: & notate bene hic, quoniam soluemus contradictionem apparentem in dictis ipsius Gal. qui dicebat primo in illo cap. quod

febres exquisitæ ardentes, & incensiuæ fiunt ex bile exquisita, quæ si habuerint unum paroxysmum dicuntur synochæ. Sed illemet Gal. in nono therapeutices cap. citato dicebat febrem hanc fieri ex putredine ipsius sanguinis, non autem ex putredine bilis: ergo uidetur esse contradictio in illius dictis, & est simile in hac re, sicut in erysipelate ipsemet dicebat. nam in secundo lib. de arte curandi ad Glauc. erysipelas fieri ex serositate sanguinis putresente: in secundo uero therapeutices ex biliosa materia. Attendatis ergo & sumamus solutionem dictorum ex ipsomet. si enim unquam uidistis erysipelatis curationem primo uidetis illius colorem esse rubeum, quoniam ichor ille sanguinis, qui putruit rubeus est, sicut dicebat ille Gal. in secundo de differentijs febrium, ubi loquebatur de sputo pleuritidis: dicebat enim quod si sputum excretum fuerit rubeum, signum est ichorem sanguinis putruisse, quoniã ille ichor ut suus humor, ex quo fluxit, est rubeus: procedente uero tempore hic rubeus mutatur, & fit color lutheus, uel citrinus: nam cum ille ichor excaluerit, & admodum super inflammatus fuerit propter maximam propinquitatem uertitur in bilem, sicq; de ichore rubeo, qui mutatur in citrinum. Et ideo non est mirum, si dixerit illud modo esse ex ichore sanguinis, modo ex bile, quoniam sciebat, quòd cum parum immutatur ille ichor uertitur in bilem. sic quoque in re nostra proposita dixit primo in nono therapeutices, ut iam soluamus contradictionem, febrim hanc fieri

ex

ex putredine ichoris ſanguinis, quoniam in rei ueritate ex illa fit, ſed in ſecundo de criſi, & alibi dixit fieri ex bile, quoniam, ut diximus, & ichor ſanguinis, & ſubſtantia ipſius bilis ſunt ferè eiuſdem naturæ, & tam proxima, ut ichor pauca quidam immutatione fiat ſub forma ipſius bilis. Cum ergo primo illa febris fiat ex ſeroſitate ſanguinis, quæ pauca mutatione ſi perſeueret, uertetur in bilem, nō immerito dixit in ſecundo de criſi illam fieri ex bile: in nono uero therapeutices cap. ſecundo dicebat Gal. hanc fieri febrem ſynocham cum æquabiliter omnes humores ſimul putreſcunt, ubi intelligebat Gal. de illo ichore ſanguinis: ex illo enim putrefacto fit ſynocha. quando uero dicimus ichorem hunc ſanguinis non intelligimus ichorē illius ſanguinis puri, uel bilis, uel melancholiæ, uel pituitæ: ſed ichorem omnium humorum ſimul. Sed ſi etiā uultis intelligere de ipſo putrefieri, ita ut intelligamus hoc modo dicta Gal. ſynocham febrem fieri cum omnes ſimul humores putreſcunt. i. ſunt in putrefieri, tunc poterimus etiam intelligere, quod dicat ipſe de ſubſtantia ipſorum humorum: nam ſi illa ſuper inflammetur, & incipiant habere quendam gradum putredinis, tunc fit ſynocha febris: ſed ſi uolumus intelligere dictum illius in putrefacto eſſe, tunc intelligendum quoque eſt de ichoribus, non autem de ſubſtantia humorum, ita ut dicatur hoc modo, tunc fit febris ſynocha, cum æquabiliter putreſcunt. i. ſunt in putrefacto ichores ſanguinis. i. humorum omnium ſimul. non enim eſt ichor, uel

ſanguinis, uel pituitæ, uel bilis, uel melancholiæ: ſed ſimul omnium humorũ. Cum uero putreſcit illa pars craſſa ſanguinis ultra ſubtilem non amplius eſt ſynocha febris: ſed eſt peſtilens omnino deteſtabilis, & habet naturam melancholiæ illa pars ſic putrefacta, ſicut dicebat poſtea Gal. nam iſte eſt ordo debitus ipſius naturæ: cum enim iam putruerunt ichores humorum, fit febris ſynocha, ſed ſi magis efferbuerit calor putredinalis, & maxima ſuperuenerit putredo, cum natura illi non poſſit amplius reſiſtere, dimittit quoque partem illam craſſam humorum, & ſic putreſcit ex cuius putredine fit poſtea peſtilens febris, non autem ſynocha: cuius ſignum eſt illud, dicebat Gal. quod in illa fiunt poſtea anthraces, & carbunculi, qui ſolent fieri ex melancholia, uerùm nondum uere eſt melancholia, ſed potius eſt quoddam extremum inter partem craſſam ſanguinis non putrefactam, & melancholiam: illi ergo proxima eſt, & ſi omnino melancholia non ſit, habet tamen quandam naturam illius. Cum ergo fiant in illa carbunculi, & anthraces ſignum eſt eſſe febrim peſtilentem: non enim fiunt, niſi in febre peſtilenti iſta apoſtemata nigra: nam uidemus quoque in illis febribus peſtilentibus fieri, quas nunc uocamus petechias, ſi enim bene illas conſpexiſtis nigræ ſunt, quoniam illa pars craſſa humorum traxit naturam melancholiæ. propria ergo ſunt iſta apoſtemata nigra ſicut carbunculi febribus peſtilentibus, ſic eryſipelata ipſi ſynochæ: ſicut nanq; in illa putreſcens ichor ſanguinis

trahit

quādo ē febris pesti-lens

trahit naturam ipsius bilis, est enim tanquam confiniū inter bilem, & uerum ichorem in principio ichor bilis: sic in ista putrescens pars crassa humorum trahit naturam melancholiæ, cum nondum sit uere melancholia, sed tanquam confinium, & principium ipsius. cum ergo in hac febre fiunt illa apostemata nigra, carbunculi, & anthraces dicendum esse, ipsam non synocham, sed pestilentem. sunt enim peßimæ huius generis febres generatæ ex putredine substantiæ humorum, & ualde periculosæ: cum enim deberent illi humores regulari, & gubernari à natura, dimißi tamen sunt putredini non propter aliud, nisi quia maxima causa erat imprimens ipsam putredinem. Itaque cum maxima sit putredo, putrescant humorum substantiæ, qui fieri potest, ut illæ febres non sint peßimæ. quanto magis fierent pestilentes, si sola substantia pura sanguinis putresceret, cum in illa uis ipsius naturæ conseruetur, & sustentetur, & debeat ab illa regulari, tamen dimissa putredini, non nisi à maxima causa hoc fieret. Nam dicebat quoque Gal. ipse in illo secundo de differentijs febrium loquens de substantia crassa humorum omnium simul, si debeat putrescere (inquit ipse) requiritur maxima putredo impressa: neque uero possunt humores dimitti à natura, nisi maximæ et ualidißimæ causæ resistere non poßit. dicebat enim proprie, nisi ualidißime in ipsis humoribus imprimatur putredo ἰσχειρῶς. Præterea & in primo libr. epidemiorū dicebat Gal. pestilentes & has febres ex humoribus

uis naturæ conseruari sustentari et regulari in sola sang.

putrefactis non fieri, nisi à maxima putredine, quæ maxima putredo potens uincere uirtutem non sit, nisi existente maxima humiditate in aere: quanto ergo maiorē uim ipsius putredinis oportebit esse si debeat sola substantia sanguinis puri putrescere, cum maxime de illa solicita sit natura, & hoc maxime facit, quod non fiet, quoniam oportet prius alios humores putrescere: ultimus enim, qui putrescit humor est sanguis, cum tam amicus sit naturæ: fatuum enim est dicere, quod natura dimittat sanguinem sibi amicum, & familiarem, quæ tamen seruabit alios humores. credo autem iam uos habuisse clarißimam doctrinam in hac re, & me intellexisse, quoniam non potest dici alio modo secundum Gal. neque secundum ueritatem. illi uero qui nolunt assentire ueritati, assentiant illis, qui decipiunt: sed oportet, quod illi prius comedant multum, antequam ueniant ad gradum utrum? sunt nimis superbi, & sine modestia locuti, nondum habent opiniones, neque illas intelligunt, & uolunt extollere alias super illas, discant, discant docere, & prius sint boni scholastici, quam uelint esse præceptores: scio saltem eos, qui me intellexerunt, uidere ueritatem huius rei.

Dicamus unum de febribus, pòst conuertam me ad prælectionem nostram. Dubitatum fuit à quibusdam clanculum, non in mea præsentia, nescio propter quid abscondant se à facie mea, aut hoc faciunt propter reuerentiam præceptoris, aut propter malignitatem: quia nollent istam rem à me sustentari cum Galeno

leno, & ueritate. nam cum non potuerint aliud inuenire, inceperunt negare synocham fieri ex putredine sanguinis, & sustentauerunt rem nouam, nescio ubi isti inuenerint sic dictum, nolunt mihi credere, & ueritati, tamen persuadentur ab uno ignobili falso. Nonne dicunt hoc omnes antiqui medici Galen. Oribasius, Paulus, Aetius, Alexanderq́;, & omnes recentiores nostri? ita est, omnes dicunt synocham fieri ex sanguine putrido, isti tamen ignari hoc non aduertentes inciderunt in hunc detestabilem, & maximum errorem. Quid est quod illi non persuadent uos cum ueritate? persuadent tamen quidam cum falsitate: nescio quid dicam, nonne uidistis me dilucidissime ostendisse hanc rem? nonne uidimus quomodo, quando, & quotuplici=citer potest putrescere sanguis, & quomodo ex illius putredine fiunt febres. Nonne soluimus contradictionem apparentem in dictis ipsius Gal. & rationibus quibus potuimus firmauimus, signis manifestis, authoritatibus consentientibus, quomodo datur febris synocha ex putredine ipsorum ichorum, sed dicunt illam non dari: Gal. autem concedit, cui credendum: ò miseri homines, & uere miseri: nonne fit cum omnes humores æquabiliter putrescunt? certum est hoc, illud æquabiliter est intelligendum quoad iustitiam, non quoad pondus: non enim æquales sunt humores in pondere. diximus autem hanc febrem synocham fieri solum in corpore plethorico, in quo sunt humores omnes æquales quoad iustitiam, non autem quod pondus; ita

ut tantum est de bile, quantum conuenit in ipso corpore sano, sicq; de alijs: in illo autem corpore plethorico, in quo fit ista febris sunt humores æquabiliter quoad iustitiam, & est plethoricum, quoad uirtutem, non quoad uasa: modo in illo plus abundat de ipso sanguine, quàm de alijs humoribus. ideo istis putrescentibus fit febris synocha, dicitur tamen à Gal. putrescentibus omnibus humorib. simul æquabiliter fieri febris synocha. ubi debetis accipere, sicut dicebamus heri, humores æquabiliter putrescere. i. illos ichores, qui sunt partes subtiliores humorum putrescere æquabiliter cum fit febris synocha: non enim putrescit ille, uel ille ichor puta ichor sanguinis aut bilis, aut melancholiæ, aut pituitæ, sed omnium humorum simul, & hoc modo nunc accipimus ipsum ichorem, & sanguinem, ut habet in se quatuor humores mistos: nisi enim accedat maxima putredo pars crassa humorum, & sanguinis putrescere non potest, sed primo putrescunt ipsi ichores: nam si illi non putrescerent, nunquam putrescerent ipsimet humores: quoniam sunt magis apti ad putrescendum ichores, imò sunt causæ, quod humores facillimè putrescant. si ergo de quo magis uidetur inesse, & nõ inest, quanto minus inerit illi de quo minus uidetur inesse? modo magis uidetur inesse ipsis ichoribus, quod putrescant, quam humores, & ipse sanguis. ergo magis putrescent, & citius putrescent ichores: quod si debeant putrescere humorum partes crassæ, oportet putredinem ulterius procedere: non possum ego mihi

ichores sunt causa q humores facile putrescunt

hi aliter persuadere: dicatis modo quicquid uultis, uidetis ueritatem ducentem me ad hoc: ultra hoc, quod uidetis Galenum non aliter sentire, imò idem dicere. nihil enim aliud dicimus, declaramus solum illius mentem cum Hip. imò nisi ipse doceret nos hoc, diceremus & ipsa natura rei ad hoc deduceret, & si Hipp. & Galen. hoc mihi negarent, non possem ab illis persuaderi alio modo: quoniam ista est ueritas; neque aliter potest dici. posteà quam putrescat solus, purusq; sanguis, & ex illius putredine fiat febris, quæ dicatur febris sanguinis, quod certè omnino falsum est, quomodo hoc posset fieri; sicut dicebamus paulo antè naturæ maximè familiaris est sanguis omnium humorum reliquorum. cum ergo putredo accedet, & isti resistere non poterit uirtus primo relinquet ipsum sanguinem putredini, & seruabit pituitam, uel bilem, & alios humores, maxime cum in illo sustentetur ipsa. ideo putrescente sanguine necessarium est, quòd ipsa uirtus decumbat, tamen in hac febre est fortitudo uirtutis. quid dicemus ergo? quomodo hoc fieri potest? quomodo hoc imaginamini? qui non uultis credere ueritati? non uideo rationem. præterea inuenitur ne sanguis purus in actu? certe id mihi nunquam concedetis. quomodo ergo ille purus, solusq; putrescit? cum ille mistus semper sit, reliquiq; humores, maximè iuncta illa ratione, quod sit humor magis charus, magisq; amicus ipsi uirtuti. Quare dicendum potius est putrescere illum ichorem sanguinis, & sic febris synocha gene-

generatur; quod si magis putredo illa accendatur, & fiat seipsa intensior, tunc de synocha transit in causon; quoniam, ut dictum est, ichor ille sanguinis maxime propinquus est naturæ ipsius bilis, sicq; pauca quadam mutatione uertitur in bilem: ex bile uero generatur causos. Itaque facillime de synocha fit causos, nisi occurratur tollendo putredinem, & hoc modo intelligatis Galen. quando dicit putrescentem sanguinem fieri sub natura bilis: accipit enim sanguinem pro illa parte ichorosa, subtiliq; sanguinis, quæ cum putrescat, nõdum est omnino bilis, sed tanquam confinium illius: si ulterius tamen putrescat, fit pura, & uera bilis. Ex hoc quoque intelligatis dictum Galen. in illo primo Epidemiorum comment. tertio ubi dicebat, quod synochæ febres sunt pessimæ: non enim intelligebat de illa simplici synocha, de qua nunc loquimur nos, quæ fit ex putredine ichorum, quoniam non pertransit sextum, uel septimum: sed intelligebat de ipsa synocha, quæ iam uersa est in causon, & procedente tempore etiam in pestilentem; quod sit uerum hoc, manifesto etiam experientia: Ego enim sæpe ipse uidi, & uiderunt, qui mecum uolunt eße, multos homines de synocha ista deuenisse in pestilentem febrem: ratio statim in promptu, quoniam primo putrescunt ipsi ichores humorum, quod nisi occurratur putrescunt quoque ipsi humores, & sic fit febris pestilens periculosa, & pessima, & hoc modo ueritatem habet dictum Galen. quid clarius hac re esse potest? dicatis mihi quæso: non

no

quomo gener causon

ne semper prius inflammatur, & accenditur illud, quod est aptum magis ad accensionem, & inflammationem: hoc mihi nullus negabit, postea si maius fiat incendium inflammatur illud, quod non erat ita inflammabile. nõne uidetis cum incenditur domus, in qua sint paleæ, et trabes primo ignẽ rapere paleas ad incendiũ, quoniam sunt magis inflammabiles, post ipsa ligna minus inflammabilia: quod si magis, atque magis increscat incendium non solum paleæ, & ligna comburuntur, sed & ipsi muri incipiunt scindi & rumpi, & labefactari: sic propemodum in re proposita: cum enim putredo accedat in corpus humanum primo incenditur in ipsis ichoribus humorum, quoniam longe sunt aptiores ad putredinem, & longe inflammabiliores, posteà ipsi humores quoque, si magis, atque magis augeatur putredo: & ita primum fit febris synocha: deinde pestilens, & sic habetis rem hanc clarissimam: si intelligitis me eritis resoluti in hac materia: sed si non uultis me intelligere, & magis falsos audire, nihil mea ipsius, sed uestra omnium plurimum refert: meq; prorsus fugit quomodo discetis: illi nunquam discent, credatis mihi, qui sunt pertinaces: unum scio, quod doctrina mea uera est cum antiquis semper existens, nihil noui addo nunc, & qui aliter uolunt tenere habent cognitionem malam, & non sunt apti ad philosophiam: hoc saltem unum præ me fero, & polliceor uos posse scire omnes, qui meam sequuntur doctrinã fore primos medicos, et philosophos illius ciuitatis: sunt sem-

ſemper honorati, & primi intra Italiam, & extra ſciunt, qui uident bene uideo non omnes iſtos eſſe meos ſcholaſticos, ſed ſunt ſpurij potius: tamen multi illorum, non omnes qui ingrediuntur hanc ſcholam ſunt mei, imò ueniunt huc propter aliud: uideant ipſi ſaltem non appellentur mei diſciplina, ſi uolunt eſſe pertinaces poterunt eſſe. Et ſic hactenus habetis quæſtionem à me tractatam de febre ſanguinis ea, qua potui diligentia, ueſtrum erit officium meliora colligere, & ſi quid erroris fuerit, non uitio tamen uertere debetis: propterea quod hæc ego Montanus non edidi in lucem, neque ut prodirent, commiſi; ſed diſcipulus quidam meus me docente ſumma cũ diligentia excerpſit, IO. CAROLVS MONNETVS emendauit Idibus Auguſti, 1554. cum ſumma tamen difficultate, cum exemplar male ſcriptum, & ferme totum corruptum eſſet: qui enim optimus excerptor fuerat profitente Montano, perdiderat, aliudq́; mutuo, quod habuit, acceperat.

Bene ualete, & Plaudite.

IO. BAPTISTA MONTANVS de uterinis affectibus.



INter omnes ægritudines, quæ humano corpori contingunt, illæ maxime sunt necessariæ, ut cognoscantur exquisite, quæ uterum mulieris afficiunt: nam præterquam quod sunt frequentes admodum, sunt etiam curatu per difficiles, atque interim exitiales; plurima quoque annexa habent digna consideratione: quorum ratione notitiam illorum inuestigare debemus, maxime cum nobilissimum quodq; membrum in consensum trahat uterus, nimirum cor cerebrum, hepar, neruos, & præcipue uentriculum. Vnde omnes actiones tam animales, quã naturales, & uitales summopere læduntur propter consensum. De animalibus satis constat, quoniam uirtutes motiuæ intercipiuntur. præterea sensus tam interiores, quam exteriores læduntur, & intercipiuntur, ita ut priuentur sæpe sensu, & motu. De uitalibus autem quid dicemus? Videmus enim cor ipsum ita in consensum trahi, ut pulsus sæpe amittatur, & difficile sit cognoscere uiuant ne mulieres, an mortuæ sint? & hoc dicit Galenus sexto de locis affectis ca. 5. De naturalibus uerò, nimirum uirtutes naturales afficiuntur propter uteri consensum: nam uirtus concoctrix, sanguificatrix, distributrix, attractrix, retentrix, expultrix, & omnes reliquæ debilitantur, ac quandoque corrum

pun=

puntur. Vnde non mirum est, si accidunt sæpe Apo-plexia, Epilepsia, paralysis tabes, hydrops, tumores præter naturam, ulcera maligna, & pessima, & denique nullum est genus pessimarum ægritudinum, q̄d non possit ex huiusmodi affectione uteri contingere. præterea circa has ægritudines oriuntur plurimæ difficultates; quippe quòd uteri affectus sunt maxime incogniti. Vnde plerique non curantur tum propter imperitiam, & ignorantiam medicorum; uel pudorem, qui nesciunt quandoque percunctari, uel non audent: tum etiam quia mulieres affectæ singula quandoque narrare non possunt, uel nesciunt ea exprimere, uel nolunt, quia uerecundantur dicere, quæ eis contingunt. propter igitur omnes istas rationes medici antiqui, præcipue Hipp. copiosissimi fuerunt, & diligentissimi in his morbis pertractandis, licet in alijs ieiuni sæpe, & compendiosi extitisse uideantur: & ratio huius fuit, quia miserti sunt humani generis. Nam uidebant quod præter cætera incommoda huiusmodi ægritudines tollunt genus humanum, & propagationem sobolis, & conceptum. Quid autem miserius sterilitate in hoc orbe? contra quid utilius poterat esse, quam prohibere, ne animal interciperetur, sed generaretur. Nostri autem medici noui ualde defecerunt, quia destituti sunt methodo, & quia isti morbi sunt ualde difficiles, & intricati. Solet autem id perpetuo fieri ab ipsis nouis, ut ubi est aliqua difficultas, semper deficiant, & sint insufficientes in rebus difficilioribus ca-

ren-

rentes methodo: & quanto sunt negligentiores, tanto sunt morbi difficiliores. Nos hoc animaduertentes rati sumus operæprecium facturos, si de his morbis exquisitissime tractaremus, sed cum latissimus sit huius materiæ campus, ut uix annus singulorum narrationi sufficeret, & nobis breue admodum sit tempus, & habeamus rationem maximæ utilitatis uestræ, eoq; magis, cum practici simus. ideo interim decreui sub methodo, & typo quodam uniuersali omnes uteri ægritudines complecti ea ratione ductus, ut qui sunt magis eruditi ex isto typo, & methodo possint per se facilè, et rectè particularia inuenire: qui uero rudiores sunt occasionem, & facultatem habeant ascendendi ad altiora, & ulterius speculandi. Posito hoc fundamento fortissimo iuxta illud Horatij. Dimidium facti, qui bene cæpit, habet: ita procedemus, ut posita communi omnium ægritudinum uteri methodo, postea exempli loco explicemus unum particularem morbum de fluxu menstruo præter naturam. ut igitur per methodum procedamus à loco illo communi, unde trahimus omnia principia sumemus exordium, ut alias semper consueuimus facere, talisq; processus erit incipiendo à natura rei, hoc est, ab uteri natura. Vterus itaque potest dupliciter considerari: uno modo prout est membrum similare, alio modo prout est membrum organicum: & sic secundum diuersam considerationem habet etiam diuersos morbos, & diuersam curationem. Nam si ut similare consideretur, potest pati omnes ægri-

uterus 2.r co[n]sideratur

ægritudines, & symptomata, quæ alia membra simila ria, ut omnes intemperies simplices, & compositas: cum materia, & sine materia. præterea fluxiones siue sit fluxio sanguinis, siue bilis atræ, siue pituitæ, siue humorum putrefactorum, siue etiam seminis corrupti, & hoc uidetur magis proprium ipsi utero. Amplius patitur tumores omnes præter naturam, inflammationes, rhagades, scirrhos œdemata, solutiones continui, ulcera cuiuscunque generis, cancros, fistulas: hæ omnes ægritudines contingunt utero, ut similari membro, de quibus non multum loquemur, quoniam sunt communes etiam alijs partibus: & quod diximus de reliquis membris, hoc etiam de utero dicendum est: nec habent illæ diuersas indicationes ab istis præter eas, quæ sumuntur à natura membri. Nam uterus non est eiusdem substantiæ cum alijs, nec eandem habet colligantiam. Vnde quia ex substantia membranosa, & neruosa est, & habet talem, uel talem colligantiam, hoc, uel illud faciendum est: sed de his postea in particulari tractatione. Alio modo uterus consideratur, ut membrum organicum, & nos de morbis uteri sic accepti tractabimus procedentes methodo. Quatenus igitur uterus est instrumentum, duos habet usus: quorum alter est, ut concipiat, & retineat fœtum ratione propagandæ sobolis: alter est, ut excrementa excernat tum ratione sexus, tum ratione loci: frigidæ enim sunt fœminæ, & ratione frigiditatis multa excrementa congregant, quibus expurgandis natura fe-
cit

cit uterum. Signum est quod quandiu fluent, & erunt secundum naturam menstrua, tandiu secundum uterũ fœmina erit sana, & quum non habuerit menstrua, uel fuerit præter naturã, incidet in omne genus ægritudinum. Quandiu ergo isti usus secundum naturam se habebunt, tandiu uterus erit sanus: Sin minus, erit insalubris. Mutantur autem isti usus, & impediuntur à morbo aliquo. Sed morbi sunt triplices, intemperies, mala compositio, & solutio unitatis. uterque igitur usus impediri potest ab his tribus generibus morbi. Sed ut progrediamur secundum rectam methodum, incipiamus ab usu concipiendi, & uideamus quot modis impediatur hæc actio, uel usus? Non discedam autem à Galeno, qui in libro de causis symptomatũ ait actionem omnem tripliciter lædi, uel ut prorsus auferatur, uel ut diminuatur; uel ut corrumpatur. impeditur igitur, & læditur actio concipiendi his tribus modis. Nã aufertur prorsus quoniam non continetur fœtus, uel si retinetur, corrumpitur, & nullam formam naturalem animalis, nec præternaturalem recipit. Si uero huius actio non auferatur prorsus, sed diminuatur, concipit quidem mulier: sed non potest continere, nec peruenit ad proprium, & ultimum finem; imò ante tempus deijcit suum. Si corrumpatur actio concipiendi, retinetur quidem fœtus: sed non generatur id, quod generari debet, idq; etiam læsio est, & dupliciter contingit: uel enim quod generatur est ex toto genere præter naturam, & est caro illa, quam Græci molam appel-

morbi sunt triplices

ex galeno tripliciter læditur

fœtum

larunt,quæ caro eſt informis, & generatur in utero, & non eſt durities uteri,ut ſenſit Paulus: Vel non eſt ex toto genere præter naturam id , quod generatur, ſed eſt aliquod morboſum,& eſt conceptus corruptus, quoniam uel mortuus eſt fœtus antequam editur:uel ſi non eſt mortuus,adeò informis,& debilis generatur, ut ſtatim poſt partum moriatur : quia non poteſt uiuere,quum in ipſo etiam partu iſtæ actiones ſint impeditæ.Cauſæ quare auferatur uis concipiendi,ita ut nihil prorſus ſeminis contineatur,i. ne tantillum quidem ſemen immoretur in utero multæ poſſunt eſſe : prima eſt imbecillitas uirtutis appetendi & contrahendi , ad quã ſequitur debilitas uirtutis attractiuæ:ubi enim nõ eſt appetitus,nec ibi delectatio:qua deficiente ſecutaeſt huiuſmodi debilitas, & quum non attrahat uirtus attractiua eſt cauſa, quod ſemen non continetur : multæ enim propter morbos faſtidiunt coitum . Cauſa uero huius imbecillitatis,ſeu carentiæ appetitus eſt frigiditas uteri,quæ ſiue ſit ſola intemperies, ſiue cum humiditate iuncta , ſiue cum materia facit inappetentiam. præterea ſi ulcus, uel inflammatio , aut tumor aliquis præter naturam eſſet in utero,uel in collo ipſius poſſet eſſe in cauſa iſtius inappetentiæ . ergo dum penis uiri attingit locum illum affectum cauſat dolorem,& tunc appetentia ceſſat:ſed iſta ſunt per accidens. Vel poteſt eſſe propter maximam debilitatem uirtutis contentiuæ,ita ut quicquid in uterum conijcitur, ſtatim excidit:& hoc fit propter plurimam humiditatem, quæ

eſt

est causa immediata, cum faciat laxitatem matricis. Ea autem humiditas potest esse uel cum materia, uel sine materia, siue sit essentialiter ibi, siue aliunde influxa sit. Item potest esse ratione caliditatis existentis in utero, ratione cuius uterus non appetat: potest etiam contingere propter aliquam malam compositionem, ut propter tumorem, & duritiem existentem in collo quæ impedit rectam iniectionem seminis: uel quia collum uteri est inuersum ad aliquam partem, & quum inuertatur foramen illius non est continuatum, imò clauditur, quia in parte, ubi inuertitur fit angulus, & hoc frequentissimum solet esse in mulieribus. Sed à quo causetur talis inuersio? maxima est lis inter sequaces Galeni, & priscos medicos. Antiqui enim uolebant quod huiusmodi inuersio fiat propter siccitatem exiccationemq; uteri, eò quod exiccetur uterus, quum non fluunt materiæ, sicuti solebant fluere, ut author de morbis mulierum ait, qui liber adscribitur Hippocrati, & propterea retrahatur uterus ad superiora tanquam ad pabulum quoddam. Sed Galenus deridet hanc rationem priscorum, quæ impoßibilis sit. Nam uterus est ualde adligatus, nec potest accedere ad superiora, quum non possit, nisi per tantillum spatium moueri, fit autem huiusmodi inuersio (dicit ipse) quoniam dum continentur menses in uenis, implentur, & humectantur uenæ, & dilatantur: & quum dilatentur fiunt breuiores. Nam id quod augetur per latum, per longum abbreuiatur, & uersus principium contrahitur. Et ideo quum uenæ

ex repletione nimia dilatantur, de neceßitate retrahũtur, fiuntq; breuiores, & suspendunt uterum, quia in tali retractione retrahitur etiam uterus: unde sequitur talis inuersio: & quia uenæ in dextra parte sæpius magis intumescunt, in ea etiam fit uteri magis inuersio. Vnde Galenus in sexto de locis affectis cap. quinto, inquit quod si retractio sit æqualiter facta in illis uinculis, non magis uertitur uterus ad unam, quam ad aliã partem, sed si inæqualiter fiat retractio, ad partem uehementius trahentem inuertetur: ista est Galeni ratio: sed fortè non demonstratiua. Quare uel propter inappetentiam, uel propter imbecillitatem uirtutis, uel ob inflammationem in utero existentem interficietur conceptus, uel ratione solutæ unitatis non fiet conceptio. Accidit etiam quandoque uitio ipsius uiri, uel ratione seminis quod sit ualde aquosum, uel alioquin habeat malam qualitatem, uel quod penem habeat nimis breuem, ita ut congeletur semen prius, quam ad locum deueniat, uel quod is nimis longus sit: (sunt hæc dicenda loco ita exigente licet parum sint decora) istæ sunt omnes causæ, quare semen prorsus non contineatur in utero, quæ auferunt usum concipiendi. Quandoque semen recipitur quidem, & retinetur in utero: sed corrumpitur ibi post tres, uel quatuor, uel quinq; dies, uel sex, ita ut prorsus nihil generetur, nec concipiatur: & ista corruptio contingit uel ratione seminis, quod sit aquosum, & nimis humidum, & calore destitutum, uel ob nimiam uteri caliditatem, quæ trahit ad

se, &

se, & exiccat humiditatem innatam ipsius seminis, ratione cuius sequitur corruptio: uel ex nimia uteri frigiditate ob quam in utero perinde fit, atque in terra, quæ quum nimis frigida sit frustra semen accipit, nullumq; fructum affert, imò corrumpitur. Et hæc de causis, quæ prorsus auferunt usum concipiendi: quod erat primum membrum de actionibus ablatis. secundum membrum erat, quando actiones diminutæ lædebantur, quæ quidem actiones diminutæ alio modo se habent. Nam contingit, ut uterus concipiat quidem, & deueniat conceptus ad aliquam formam embryonis: sed postea quam grandiusculus efficitur non potest retineri, & excidit ante tempus, sicut ualidissima, & formosissima quædam matrona Veneta sæpius quidem concipit, sed ferè semper aboritur. Itaque potest contineri quidem conceptus per tres, uel quatuor menses: sed cum non possit uterus amplius continere, sequitur abortus. Abortus igitur dicitur talis actio diminuta, quæ non potest peruenire ad finem intentum, & hoc fit uel uitio seminis, ut cum est magis calidum, frigidum, siccum, ac humidum, uel nimis aquosum, uel nimis humidum: semine enim potest generari fœtus, sed non perfici: Vel fit, & sæpe uitio uteri, quando est nimis humidus, & nimis laxus, in quo quidem fit inchoatio fœtus: sed cum grandior efficitur, & deuenit ad aliquam molem, non potest retineri, sed excidit, quia uincula etiam ratione nimiæ humiditatis disrumpuntur: uel fit uitio temperamenti ualde pituitosi, quod auge-

tur alimento frigidiori. Nam talibus mulieribus plurima pituita generatur, & plurimus sanguis humidior, & quum tale alimentum ad uterum deferatur plus, quam oportet, tunc ab eo suffocatur fœtus, & non potest contineri, quantum oportet: & istæ sunt omnes causæ diminutæ conceptionis. tertium membrũ erat de actionibus corruptis: actiones conceptionis corruptæ sunt, quod generatur quidem, & continetur diu illud, quod generatur, sed tale uel est omnino præter naturam, uel saltem maxima ex parte. Quod ex toto genere præter naturam generatur, est caro illa, quam molam appellant istæ nutrices. Et Galenus in decimo quarto de usu partium cap. 7. est caro quædam informis: & non potest generari hæc caro, nisi conueniat semen uirile, & in hoc differt ab illis subuentaneis, quæ generantur sine semine, & ὑπηνέμια ibidem à Galeno uocantur. dicitur autem ex toto genere præter naturam, quia nullo modo consequitur finem: natura enim animal intendit. Tale autem generatur uel propter multitudinem seminis muliebris suffocantis facultatem seminis uirilis, quod quidem facit aliquid: atque tale est præter naturam omnino, uel propter semen uiri, quũ nimis calidum, & super assatum sit, sed hoc raro aduenit. Sicut enim actio bona fit à calore moderato: ita actio corrupa fit à calore immoderato. Et ideo quum excedit calor non potest regulari à uirtute formatiua: unde posteà generatur illa mola omnino præter naturam. Quando uero conceptus corrumpitur, quia

genera-

tertiũ mẽbrũ

cur d. ex toto gñre pter nãm

actio bona et mala unde fiat

generatur aliquid, quod non est ex toto genere præter naturam, tunc generatur quidem animal: sed tale animal infirmum est, & moritur ante partum, uel in partu, uel paulo post partum corrumpitur, & tale animal inutile est; & hoc fit ab eisdem causis superius dictis à mala temperatura uteri, & mala seminis qualitate. Sed differunt in gradu, quia ubi prorsus conceptio aufertur, tunc illæ causæ uehementiores sunt: ubi uero diminutè, uel corruptè aufertur, non ita potẽtes illæmet causæ redduntur. Omnes has causas intrinsecas adiuuant causæ extrinsecæ, ita ut intendantur ab istis, ut aer, cibus & potus, nimius motus, nimia caliditas, uel nimia frigiditas, potiones nimium aperientes & reliqua similia: quandoque omnes istæ causæ tam intrinsecæ, quàm extrinsecæ concurrunt: quum uos methodum habeatis, potestis eas componere: & nihil post contingere, quin præuideatis illud. Quantum uerò attinet ad secundum usum uteri, qui usus est, ut excernatur id, quod excerni debet, ut habeamus etiam methodum istius sciatis id, quod excernitur uel est secundum naturam, uel præter naturam: secundum naturã erit sanguis menstruus, uel semen quando secundum naturam excernitur: præter naturam autem quodcunq; istorum erit, quando intercipiantur omnino, uel diminuantur menses, & semina, uel exeant in plus, quam oporteat: & ita utrunque istorum potest uel auferri prorsus, uel diminutè, uel corruptè. Sed de semine primo dicamus: aufertur, & intercipitur prorsus

ſemen, uel ſeminis fluxus propter multas cauſas, uel quia mulier priuetur delectatione, & uir: atque delectatio auſertur mulieribus, quando uirum non habent, ut caſtis. ſ. contingit. Vnde poſteà ex retentione ſeminis ſæuiſsima accidentia ſequuntur, ut Galen. ſexto de locis affectis. uel intercipitur ſemen propter aliquas obſtructiones factas in uijs, & ego cognoui quendam uirum nobiliſsimum, qui in coitu multũ delectabatur: ſed dum ſemen ueniſſet ad quendam terminum non poterat, niſi cum difficultate exire, ita ut multum afficiebatur. Nam licet ſemen à proprijs uijs egrederetur, non tamen omnino progrediebatur, & hoc in uiris rarò contingit: in mulieribus autem ſæpius, ac frequentius uel propter frigiditatẽ, uel propter craßitiem ſeminis, uel etiam quia non ita citò aſſequuntur finẽ mulieres ſicut uiri. Quare permanet ſemen, & incraſſatur: & iſtæ ſunt cauſæ retentionis ſeminis. Cauſa uero retentionis ſanguinis menſtrui, ita ut non defluat ſingulis menſibus poteſt eſſe, uel ratione ſanguinis, quia ſæpe ita craſſus, & fæculentus eſt, ut non poßit exire uel propter anguſtiam uiarum, uel propter debilitatem uirtutis expulſiuæ, uel propter paucitatem ſanguinis, uel propter frigiditatem uteri, & ſanguinis, uel propter obſtructionẽ uteri, uel etiam propter omnes iſtas cauſas contingit priuatio ſanguinis menſtrui, & tunc difficilior fit ægritudo, quando propter plures cauſas, quam propter unam ſupprimuntur menſtrua: quod ſi penitus auferantur, & contineantur

men-

menstrua, sequuntur sæuissima accidentia, & grauissimi morbi, ut apoplexiæ, epilepsiæ spasmi, hydropes, & quæcunque ægritudines ex repletione solent, & possunt accidere. Diminutio uero menstruorum habet easdem causas, quas & eorum ablatio: sed causæ quæ diminuunt menstrua, sunt debiliores, quam quæ prorsus ea auferunt: tunc enim non emittunt tantum menstruorum, quantum oporteret: in uniuersum eædem sunt suppreßionis excrementorum causæ, quæ & diminutionis, nisi quod illæ sunt ualidiores, hæ uero diminutæ, non ita potentes in gradu, & sic imbecilliores sunt.

Cæterum quando sunt imbecilliores in gradu, tunc etiam ipsæ diminute agunt: quum uero sunt in gradu potentiores prorsus auferunt, & intercipiunt actionem. Reliquum modo est, ut aliquid etiam dicamus de actione corrupta, quando menstrua sunt corrupta, & deprauata. Dicimus enim actionem esse corruptam, uel aliquid esse deprauatum, quando illud agit, quod agere non debet. quando igitur excrementa menstrua exeunt, quomodo, & quando exire non debent, dicitur actio corrupta, uel deprauata: sed quoniam deprauatas actiones non possumus recte cognoscere, nec intelligere, nisi prius sciamus, quæ sint actiones naturales, ideo uidendum est, quot conditiones requirantur ad hoc: ut excretio tã seminis, quã mẽstruorũ dicatur naturalis: ita.n. facile apparebit, quæ sit deprauata et non naturalis: est etenim duplex excrementũ; alterum

natu-

naturale in substantia, & excretione: alterum etiam naturale quantum ad excretionem, & substantiam; dum excretum est, efficitur præter naturam, ut sanguis menstruus. Quod autem ad menses spectat, illa menstruorum excretio naturalis est, quæ seruat istas quatuor conditiones: prima, ut seruet periodos suas: naturales autem suæ periodi sunt, ut singulis mensibus excernantur menstrua: quando uero tardius, uel citius exeunt præter naturam sunt, & periodus non est naturalis. secunda conditio, ut durent debito tempore, & naturali hoc est, tribus, aut quatuor ad summum diebus: quod si quartum diem pertranseant, non sunt naturalia. tertia conditio, ut sit debita quantitas: quantitas autem menstrui sanguinis sunt duæ cotylæ atticæ, & cotyla attica pendet nouem uncias: Latina autem nostra est. 10. unciarum: nos loquimur de cotyla græca. Quum igitur tota quantitas debeant esse duæ cotylæ, erunt unc. octodecim. quarta & ultima conditio est, ut præter quantitatem sanguinis substantia sit naturalis: substantia autem naturalis debet esse talis præcisè, qualis est substantia sanguinis uictimæ iugulatæ: istæ sunt quatuor conditiones requisitæ naturali menstruorum excretioni, quæ sumuntur ex primo libro de morbis muliebribus siue modo ille liber sit Hipp. siue polybi, siue alterius certum est, quod est uiri doctissimi. Cæterum ubi aliqua istarum conditionum defecerit, excretio illa menstruorum erit præter naturam, & secundum rationem excessus magis,

uel minus mulier erit infirma. Nam si secundum unam tantum conditionem declinabit, non erit admodum sensibilis læsio: si uero secundum plures fient etiam læsiones plurimæ. Mensuranda igitur ægritudo est pro gradu defectionis ab his, quæ sunt secundum naturam: ista omnia potestis etiam accommodare alteri excremento semini: siquidem ad naturalem seminis excretionem requiritur primo debita periodus, & tempus debitum, quod est quando congreditur cum uiro, ut simul concurrat uiri, & mulieris semen: si uero & sine congressu, & citra congressum uiri exeat semen, non est naturalis excretio. deinde requiritur quantitas, quæ quamuis non sit ita determinata, & nota; debet tamen esse proportionata semini uirili: si uero plus seminis emittatur, quam oportet præternaturalis erit excretio. Videatis in libro de morbis mulierum, ubi hæc omnia habetis. deinde requiritur, ut semen sit purissimum nulla mala qualitate, aut odore affectum, alias erit præter naturam. Postremò requiritur substantia seminis naturalis: tot dicta sint de excretione naturali tum menstruorum, tum seminis: ex quibus facile colligi potest, quæ sint conditiones excretionis præter naturam tam menstruorum, quam seminis, nimirum illæ sunt, quæ non seruant quatuor illas conditiones dictas naturales. Atque prima est, quando non seruatur debitum tempus, ita ut excretio non fit in tempore, in quo fieri debet: secunda quando non seruatur debita quantitas: sed plus, uel minus excernitur; tertia est quando

do mutatur qualitas, ut quando excrementum est nimis tenue, uel salsum, uel amarum, uel fætidum: quarta est quando mutatur substantia, ut si loco sanguinis exeat pituita, uel aliquis humor alius corruptus. Sufficit autem una conditio ad hoc, ut excrementum sit præter naturam, hoc est, si in una declinauerit, & si plures conditiones ex his quatuor fuerint maior erit excessus, eoq; magis si fuerint intensæ, & de his nobis magis erit considerandum. Causa autem cur excernatur semen præter naturam extra tempus, & quando excerni non debet prima, et potissima imaginatio est. Sunt enim quædam mulieres ita salaces, & ualde imaginatiuæ, ut dum cogitant, & uident iuuenem pulchrum statim semen emittunt, ita ut sola mulieris, uel pueri pulchri imaginatio est causa, ut semen emittatur, & huiusmodi emissio dicitur præter naturam. secunda causa est in ipso semine, ut quando semen est nimis calidum, & feruens, qua ratione facile ad motum excitatur. tertia causa est uiarum amplitudo. & ideo mulieres assuetæ ad coitum, quia habent meatus amplissimos sunt paratæ ad talem excretionem. quarta causa est uteri caliditas, & testiculorum mulierum semen facile eiaculantium. præterea multitudo seminis est causa talis excretionis: tenuitas etiam seminis, & mordacitas, ac acrimonia: tenuitas autem seminis est à tenuitate sanguinis, quia nihil aliud est semen, quàm pars sanguinis optima bene concocta, & perfectissima: sed non est eadem tenuitas utriusque, cà

quod

quòd concoctio naturalis procedit semper incrassando: tamen tenuitas seminis proportionatur tenuitati sanguinis, quæ quidem generatur à moderata caliditate, cui adiuncta est siccitas. Et isti qui habent huiusmodi sanguinem tenuem, sunt admodum ingeniosi, habent optimum ingenium, & perfectas, ac expeditas operationes: quia leui etiam titillatione mouentur ad seminis excretionem, istæ sunt causæ cur semen non suo tempore excernatur, quæ erat prima conditio seminis præter naturam excreti. secunda conditio erat quoties in maiori quantitate prodit semen, quam prodire debet, quæ etiam excretio est præter naturam, & est ab eisdem causis dictis: uel enim nimius feruor, uel nimia copia seminis, uel uiarum amplitudo, & reliqua sunt in causa cur semen prodeat in maiori quantitate, quã prodire deberet. tertia conditio erant ipsæ qualitates acuentes sicut salsedo, quæ ratione alicuius putredinis fit, & acrimonia, quæ fit ratione pituitæ, uel alicuius humoris erodentis. quarta conditio erat quoties semen mutatur, & corrumpitur. causa uero cur corrumpatur tota substantia seminis est uel longa mora, & detentio seminis in uasis, uel aßuetudo mulieris ad coitum aliàs, præsertim si mulier assueta fuerit, quæ postea abstineat à coitu: aggregatur enim quantitas maxima seminis, & putrefit, qua aggregata, & corrupta insurgit postea uirtus expulsiua ad expellendum, & tunc incipit gonorrhœa. præterea ab alijs causis etiam potest prouenire gonorrhœa, ut à nimia cali-

caliditate: unde si plures concurrant causæ, eo peior erit illa gonorrhœa. Sed notetis quod fluxus seminis contingit ab huiusmodi causis: & aduertatis in huiusmodi mulieribus talem fluxum eße illum, qui dicitur gonorrhœa. Nihilominus uidebitis paucissimos, qui distinguant tam in cognitione, quam in curatione hunc fluxum affectum gonorrhœæ in mulieribus à fluxu menstruorum alborum, quum tamen sint differentes, & diuersam curam exigant, & certè nulla est cura, nec casus magis necessarius, & utilis, quam tractatus iste, tametsi sit admodum difficilis, & confusus. Hæc satis de excretione seminis præter naturam, siue de illo affectu, qui dicitur gonorrhœa in mulieribus: modo de fluxione sanguinis menstrui præter naturam agamus. sanguinis autem menstrui fluxio, si debet esse præter naturam easdem conditiones, quas seminis esse diximus, habebit: primo requiritur, ut sanguis menstruus non exeat debito tempore, in quo debebat exire, ita ut non seruet suas periodos de mense in mensem: uel etiã excernitur tempore non opportuno: quando mulier est prægnans. Duo igitur sunt tempora minime opportuna, ad quæ sequuntur istæ excretiones non opportunæ. Sed causæ cur menstrua prodeant tempore prægnationis multæ possunt eße: causæ enim primitiuæ & extrinsecæ possunt esse, uel mala & in debita uictus ratio, uel incommodus coitus cum uiro, & congreßus sine aliqua moderatione, uel quod iactetur uiolenter, uel plurimi motus, et multum exercitium. præ

terea

terea exeunt menstrua mulieribus prægnantibus, quæ incedunt in curru: nam ex illa ualida agitatione currus agitantur menses, sicut solet nostris Patauinis contingere. Præterea excitantur neutiquam opportune menstrua à cibis plurimis nimis aperientibus sumptis. Item ex timore, & ex quocunque uehementi animi motu: & istæ sunt causæ extrinsecæ. Causæ uero intrinsecæ possunt esse multitudo sanguinis, latitudo uiarum, uteri caliditas: ex huiusmodi enim causis mulieres incidunt facile influxum sanguinis, & menstruorum, licet etiam sint prægnantes. Quod si menstrua in prægnante fluant ualide. i. plurima copia, ut Hipp. ait sæpe abortus sequitur: si uero moderate, & pauca quantitate fluant non ita obsunt, neque nocent conceptui. Causæ uero excretionis menstruorum quando mulier non est prægnans, hoc est, quum prodeunt in medijs spatijs inter menstrua, sunt illæ eædem causæ, quæ sunt cum prægnatione. Præterea sæpe contingit talis excretio menstruorum propter aliquod uitium existens in mala compositione uteri, ut si nimis laxa, fuerint ipsius orificia, uel sit tumor aliquis præter naturam in utero, uel ad sit laxitas ipsius. Item solutio continui, ut ulcus aliquod, & alia: Istis de causis non prodit sanguis menstruus horis consuetis: & hæc de prima conditione. secunda cõditio est, ut quãdo suis tẽporibus quidẽ exit, sed excedit quantitatem suam debitam, & in maiori quantitate exit, quàm oportet: & hæc similiter excretio est præternaturalis, & con

tingit

tingit propter easdem causas accedentes: præterea à tenuitate sanguinis, & acrimonia humorum, quæ stimulent. tertia conditio est quando peccat in qualitate, ut quando efficitur salsus ob putredinem, aut propter admistionem pituitæ salsæ; uel quando fit acris ob admistionem bilis, aut acidus propter admistionem humoris melancholici. quarta conditio est quando sanguis menstruus peccat in tota substantia, ita ut non peccet in qualitate, nec in quantitate, sed substantia sit, quæ peccet: quandoquidem purus non exeat, imò differat tota substantia à natura sanguinis, ita ut sit uel humor pituitosus, uel biliosus, uel melancholicus, qui fluat, uel aliquis humor putrefactus habens malas qualitates putridas, & fœtidas uarias, & ferè innumeras ob putredinis uarietatem, ut uoluit Galenus in fine 2. de facul. nat. Et quãquã xiij. genera humorum ponantur ab Erasistrato, tamen possunt esse infiniti ratione putredinis, ut bene loco citato dicit Galenus, & hoc fit ratione diuersitatis corporum. Nemini autem dubium est, quod talia excrementa uel biliosa, uel pituitosa nõ alia de causa excernuntur, nisi propter multitudinem talis humoris exeuntis existentem in corpore, aut propter talem corporis constitutionem, ut si fluat pituita, erit propter pituitæ multitudinem, uel ratione multæ frigiditatis: sed de his postea magis distincte loquemur: iste est typus, in quo omnes morbos, qui utero contingunt tanquam in tabella uidetis, quam uos potestis deinde per lineas facere: & si eritis ingeniosi poteritis

teritis uobis arborem quandam facere optime per ſuos ramos diſtinctam, in qua habeatis omnes differentias, & cauſas omnium ægritudinum, quæ utero accepto tanquam membro organico contingunt, ut ita nihil poterit eſſe, quod impediat actiones uteri uel auferendo prorſus eas, uel diminuendo, uel corrumpendo, quin illud cognoſcatis: & hoc polliciti eramus. Sed quoniam & illud promiſimus, ut unum membrum ex his diuiſionibus uelut pro exemplo poneremus, in quo & morborum cauſas, & ſigna, & indicationes oſtenderemus, id quod etiam Galen. ſæpe facit in methodo, ut promiſſa ſeruemus iam tempus eſt. Nam hactenus propoſuimus methodum à natura rei, quæ erat neceſſaria pro cognitione ſequentium, ut uideamus tanquã in exemplo fluxionem menſtruorum corruptorum, & dicamus de his explicite, quæ ſint cauſæ, quæ ſigna, & quæ indicationes. Sed primo ponamus fluxionem illam deprauatam, ut quum dicimus quod uirtus agit deprauatè, & uideamus quomodo menſtrua exeant deprauata: Et in hoc primùm quæcunque ſunt communia dicamus, deinde quæ particularia ſeruando eum ordinem, quem Ariſto. Plato, Galenus, & alij ſeruãt, quum aliquid methodo docent. Pro declaratione iſtius rei oportet primum uidere eſſentiam iſtius ſymptomatis: nam excretio præter naturam eſt ſymptoma quoddam: deinde oportet uidere cauſas omnes tam efficiente, quàm materiales, & tam intrinſecas, quàm extrinſecas: tum iudicium. i. mores ægritudinis conſiderare

fluxio deprauata

oportet. Quod autem attinet ad essentiam, certum est quòd quando excernitur id, quod excerni non debet, huiusmodi fluxus dicitur symptoma: ac nemini dubium est, quòd istud symptoma est fluxio: & certe omnis bonus Doctor antè, quàm ad aliam curam accedat, deberet à capitulo fluxionis initium facere tanquam ab eo, à quo cæteræ ægritudines dependent. Collocatur igitur hoc symptoma sub genere fluxionum: fluxio est quædam expulsio de uno mẽbro ad aliud membrum: ista est diffinitio, & character fluxionis proprie. Quum igitur symptoma hoc sit fluxio, ei quoque conuenit definitio generis, ita ut & ipsum erit expulsio præter naturam de uno membro ad aliud, & quum sit expulsio de uno membro ad aliud, oportet ut hæc omnia requirantur & conueniant. primum unum membrum principium, uel plura mandantia: deinde recipiens membrum, quod uterum appellamus, tum uiæ, per quas transit: præterea humor, qui demandatus: postremò uirtus mandans, seu expellens. Quod autem attinet ad causas, hic tres causæ conueniunt, efficientes, materiales, & præparantes, quæ instrumentales appellantur à Platone: atque prius loquamur de causis intrinsecis, deinde de extrinsecis dicemus. Causæ efficientes intrinsecæ sunt fortitudo uirtutis expulsiuæ in aliquo membro existentis, quæ uirtus expulsiua ita fortis est, ut expellat quod expellere non deberet, & illud etiam quod sibi esset utile, idque propter fortitudinem suam: & ista est causa efficiens. Materiales

causæ

cauſæ ſunt omnes humores, qui generari poſſunt in humano corpore ſanguis, pituita, bilis, melancholia, & aliquid ex his commiſtum. Præparantes cauſæ ſiue diſpoſitiuæ ſunt ipſæ uiæ, ut latitudo uiarum: nam faciunt ad hoc, ut facilis excretio fiat. Cuius rei iudicium illud eſt, ut ſcribit author de morbis mulierum, quod illæ mulieres, quæ pepererunt, ſunt magis obnoxiæ fluxibus talibus præter naturam, quàm illæ, quæ nunquam pepererunt, & adhuc magis, quam illæ: quæ nunquam concubuerunt cum uiro, quales ſunt puellæ, & uirgines. Et nunquam uidebitis in uirginibus menſtrua alba, & præter naturã: ſi uidebitis, dicatis quod illa puella cum uiro concubuit, tametſi neſciatur. Præterea diſpoſitio membri recipientis, ut quum membrũ recipiens laxum eſt, & non denſum, & habet uias latas. Amplius ſi fuerit imbecillum, & ſic iam habetis in generali omnes cauſas intrinſecas: ſed ut magis ad particularia deſcendamus, incipiamus.

In explicandis detectionibus, ſiue euacuationibus uteri præter naturam, ut recte cognoſceremus totam naturam iſtius ſymptomatis tria ſupra propoſueramus: primum eſſentiam ipſius ſymptomatis, hoc eſt, ſub quo genere collocaretur: deinde cauſas tam intrinſecas, quam extrinſecas: tum quinam eſſent mores huius ſymptomatis, utrum maligni, nec ne? Atque ita hanc rem tractauimus, ut breuiter omnes cauſas explicuerimus, & circa eſſentiam iſtius ſymptomatis, quum ſciremus huiuſmodi excretiones collocandas eſſe

ſub genere fluxionis, uidimus quid eſſet fluxio, quod erat expulſio præter naturam de uno membro ad aliud, ex qua definitione nacti ſumus quinque: primum erat membrum mandans, ſecundum uirtus expellens, tertium humor fluens, quartum membrum recipiens, quintum uiæ, per quas tranſit humor fluens. iſta omnia dicebamus eſſe inquirenda, quæ ſe habent tanquam cauſæ intrinſecæ omnium fluxionum: diximus etiam, quæ ſe haberent, ut cauſæ efficientes, ut eſt uirtus expellens: item quænam eſſent cauſæ materiales, & diximus eſſe omnes quatuor humores prætereà quæ eſſent cauſæ præparantes, & diſponentes, & ſunt uiæ per quas deducuntur materiæ ipſæ facientes fluxionem, & membrum recipiens, ut locus ad quem. Cum igitur hæc omnia ita diſtinctè habuerimus, diximus huiuſmodi excretionem eſſe quandoque, quoniam uitium eſt in membro mandante, quandoque etiam, quoniam eſt in membro recipiente. huiuſmodi igitur excretio ſemper proueniet uel uitio membri mandantis, uel uitio recipientis: iſta enim duo ſunt principaliter conſideranda alijs etiam adiuuantibus. Nam diximus quod uirtus expellens fortis, & ualida, quoniam & tanquam cauſa efficiens, ſæpe ſolet eſſe in cauſa, ut fiant tales excretiones menſtrui præter naturam: ſed modo uidendum eſt, quidnam ſit illud, quod faciat robur uirtutis. Dicimus tria eſſe, quæ faciunt uirtutem: primum ſanguinem & humores in mẽbro bene tẽperatos: deinde ſpiritus & ca-

lorem

lorem innatum laudabilem secundum proportionem membri: tum temperaturam, & habitum secundum naturam membri. Vbi hæc tria conueniunt, de necessitate tale membrum robustum, & ualidum reddunt. ad hoc autem ut cognoscamus membrum esse ualidum robustum in operationibus tria requiruntur: primo ut facilè accedat ad opus. deinde ut opus cito perficiat, tum ut ualide operetur: ubicunque hæc tria fuerint, illud dicetur ualidum mēbrum. Per facile autem agere intelligimus quando membrum facile excitatur ad opus à quacunque leui causa, & agit sine resistentia, & impedimento. Per citò operari intelligimus, quum opus suum perficit, & multa operatur in breui tempore: per ualidè operari intelligimus, quando passum minimam admodum facit resistentiam. Virtus ergo expulsiua debet habere illa tria ad hoc, ut sit ualida, & robusta. Sed quum illud, quod ualidum est, facile excitetur, uidendum est, quod sit illud, quod facile excitat ipsam uirtutem? illud mea quidem sententia est plenitudo, & quoniam plenitudo duplex est quoad uasa, & quoad uirtutem: quoad uasa plenitudo dicitur, ubicunque non est aliqua mala, & insignis quantitas peccans uel caliditate, uel frigiditate etiam: sed adest tantum multitudo humorum, & moles magna, quæ tantùm onere, & grauat, & prosternit uirtutem, non qualitate: quoad uires autem plenitudo dicitur, quæ offendit ratione malæ qualitatis humorum. Nemini autem dubium est, quin uirtus expulsiua, ubi fuerit robusta,

facilius insurgat, & excitetur ad expellendum à qua-cunque plenitudine, quam uirtus debilis. ergo fortitudo uirtutis dat occasionem fluxioni. secundum autem est membrum mandans, quod & ipsum dat suas occasiones fluxioni, cum excitet uirtutem, detq; illi occasionem: illud autem est facilitas sensus membri, & imbecillitas eius ad patiendum, quæ dant occasiones huiusmodi excretionibus. Nam facilitas sensus membri à quacunque leui causa percipit nocumentum, & tunc uirtus insurgit: & quanto magis sensibile est membrum, tantò magis excitatur uirtus ad expellendum. præterea imbecillitas membri, & quæcunque imbecillitas dat illi occasionem, quia oportet, ut membrum sit robustum, si debet expellere: dicitur autem membrum imbecillum, quotiescunque habet texturam raram, & debilem: & sciatis membrum recipiens concurrere passiue ad operationem. tertium membrum erant uiæ latæ: sed quæ est causa latitudinis uiarum: ut facile menstrua pertranseant? Causæ intrinsecæ (nam de intrinsecis loquor) ut caliditas naturalis, & præcipue quæ in hepate fundatur, continuæ menstruationes, & partus frequens: nam ratione caliditatis uasa ipsa dilatantur. Item propter continuum menstruorum fluxum uiæ dilatantur. præterea uiæ earum, quæ pepererunt sunt magis aptæ ad fluxum, quam uiæ uirginum: istæ sunt causæ, quæ uias redduut fluxas, & sunt causæ præparantes. Causæ uero omnium humorum quænam sunt? Causa generationis sanguinis est calor

modera-

moderatus hepatis maxime, & uentriculi, uel calidi-tas ſimplex ſit, uel iuncta cum humiditate temperata, generat multum ſanguinem. Cauſa generationis pi-tuitæ eſt temperatura frigida præcipue hepatis, & uentriculi, quæ membra quum excedant à tempera-mento per frigidum maxime ſunt in cauſa, cur pituita abundet in corpore. Cauſa uero generationis reliquo rum humorum bilis flauæ, & nigræ, æruginoſæ, & aliorum eſt exceſſus caloris ſecundum uarios gradus: nam ſi calor parum exceſſerit generabitur bilis fla-ua: ſin uerò tantus erit, ut etiam adurat, generabitur bilis illa atra, et nigra, & ita generantur alij humo-res omnes ſecundum diuerſitatem caloris, & ſecun-dum putredinem uariam. Atque hæc de humoribus fluentibus, quod erat quarto inuentum ex definitione fluxionis. Quintum autem erat uterus, terminus ad quem, & membrum recipiens: nam ægritudines om-nes contingentes in utero ſunt in cauſa fluxionis men ſtruorum. Omnes enim uteri intemperies, & præci-pue intemperies calida, & humida, (nam exceſſus fri giditatis, & humiditatis potius conſtipat, aut potius ſuppreſſionem facit menſtruorum, quam fluxum) ſunt in cauſa fluxionis menſtrui. præterea ſolutiones continui, & ulcera, inflammationes, & ſcirrhi: faciunt enim uterum debiliorem ſeipſo, & præparatum ad excretionem: & ita diſcurrendo per iſta quinque ha-betis omnes cauſas internas mouentes fluxionem. Vbi uero uterus nihil patietur, neque erit affectus eſſen-

tialiter, oportet ut afficiatur, & patiatur fluxum per consensum aliorum membrorum, quæ ad eum deferant excrementa, & tunc necessarium est inuenire mēbrum mandans, uel mandantia: quæ sint aliquomodo affecta: & si recte inspicietis, naturā humoris prodeuntis præcipue indicabit uobis mēbrum mandans, quod laboret, & ut poßitis habere causas istius rei hoc modo procedetis incipiendo primo à sanguine. Nam ubi uidebitis fluxionem sanguinis naturalis exire ab utero instar uictimæ iugulatæ, & quod sanguis ille non peccet, nisi in quantitate, & in tempore, quia non exit horis suis debitis utero nihil patiente, dicatis necessario alterum duorum esse in causa, uel quod sit multitudo sanguinis generati in hepate, uel quod sit solutio continui facta in aliqua uena tendente ad uterū: Et si non erit solutio continui, erit multitudo sanguinis in hepate: & ratio uirtutis expulsiuæ ualidæ expellentis humorem ad locum debitum talium superfluitatum: nā aliunde nō potest prouenire, quā ab hepate: His uisis facile postea curationem inueniemus. Si uero fuerit pituita uera, quæ exit, & fuerint menstrua alba, tunc uel à uentriculo, uel à cerebro, uel à toto corpore emanabunt, tamen ut plurimum à cerebro, & à uentriculo, quandoque etiam à toto. Et omnes mulieres, quæ patiuntur menstrua alba, fere semper habent catarrhos, & uentriculum debilem, & imbecillum, & tales sunt exangues pigræ, somnolentæ, & uidentur semper habere humiditatem quandam in oculis, & ita

ubi

mira et mu lieribus me strua alba habentibus

ubi apparuerit pituita, semper erit aliquod istorum si gnorum uel plura, uel omnia simul: Sunt etiam signa distinguentia, de quibus postea dicemus. Si autem fuerit bilis, quæ per uterum excernatur, membrum mandans erit illud, à quo præcipue generatur bilis, & erit hepar, quod quidem generat bilem propter caliditatem excedentem in ipso, & in hoc differt à generatione sanguinis: propterea quod moderata hepatis caliditas generat multum sanguinis: Bilis autem prouenit ab excedente caliditate. Si uero quod exit fuerit subnigrum, erodens, & uergens ad atram bilem, nemini dubium est, quin istud proueniat ratione uitij existentis in splene non bene potente expurgare suas superfluitates, aut erit caliditas magna in toto corpore prædominans, & adurens humores, & ut plurimum tales mulieres sunt spleneticæ. Si uero fuerit, quod excernitur bilis prasina, uel æruginosa, quum talis bilis generetur in uentriculo, nemo homo dubitat, quod hoc erit uel ratione alicuius alimenti calidi, & acris, uel uitio uentriculi excedentis in caliditate: & ita causa proxima generationis bilis prasinæ, uel æruginosæ erit caliditas. Vbicunque igitur tales humores fluunt, semper quærendum est membrum mandans, si debetis curare, aliter nunquam poteritis: & istæ sunt omnes causæ intrinsecus accidentes uariorum humorum defluentium ad uterum: & ubi fuerint, necessario dicatis quod est aliquod membrum mandans, in quo redundant istæ superfluitates: & istud est unum membrum

con=

continens omnes causas effectrices internas fluxionum quando fluxio fit per consensum, & non per essentiam. Quod si uelimus scire, quando fluit semen putridum in gonorrhœa, quomodo distinguatur à menstruis albis, dicemus quod multæ sunt causæ manifestissimæ, sicut caliditas magna uasorum spermaticorum, latitudo uiarum, quæ causæ sunt, et dicuntur præparantes semen ad excretionem, & quæcunque possunt facere putredinem: & istæ sunt causæ omnis fluxionis per consensum. Reliquum modo est, ut dicamus de causis facientibus fluxum per essentiam in utero. Et ubicunque est uterus male affectus in se ex mala aliqua complexione, uel mala compositione, uel solutione continui, & ex se est rheumatizans: dicitur.n. membrum rheumatizans, quando non tantum non potest conficere proprium alimentum, sed continuè etiã redundat excrementis, etiam quod illa excrementa nõ demandentur ab aliquo alio membro. Nam ratione imbecillitatis recipit, habet etiam, quod ratione suæ imbecillitatis non potest expellere suas superfluitates, ita ut necessario semper redundat excrementis, & tale membrum dicitur rheumatizans. Vbicunque igitur erit malè affectus in se uterus ista duo habebit, ut aggreget, & facile recipiat in se excrementa ex præsupposito illo, quod semper fortiora membra mandent ad imbecilliora, ita ut uterus duo habebit, quorum ratione fluxio fiet tum ratione imbecillitatis propriæ, tũ quia excrementum mandatur aliunde. Vbi ergo uterus erit

hoc modo affectus in re corpus uteri erit semper humidum, & distillabit semper excrementum, ĕt quod non sit uitium in aliquo membro mandante, quia erit factus debilior: tum etiam maxime distillabit. si uero accedat caliditas, aut dolor: nam ratione eorum magis attrahet superfluitates proprias aliorum membrorum sanorum existentium: et si uterus quando est sanus recipit (etenim ad eum demandantur superfluitates menstruorum) quanto magis quum erit ægrotus recipiet. Ergo potest stare, quod uterus essentialiter affectus semper distillet ex se, etiam quod non sit aliquod membrum mandans uitiatum, & excrementum, quod exibit, erit uirulentum, & uariæ substantiæ. Si uero contingat, quod uterus sit affectus, & redditus imbecillior se ipso existat, atque & aliquod membrum mandans tunc fit ægritudo curatu difficillima: propterea quod fit circulus pessimus: nam continue plurimi humores demandantur à membro mandante, quos uterus recipit: deinde quoniã uterus habet consensum multum per contactum cum intestino recto, & cum uesica urinæ, & uasis urinarijs, ratione uteri malè affecti fiunt tenasmi stranguriæ, & suppressiones urinæ. præterea propter uicinitatem habet consensum cum uentriculo: fundus enim uteri accedit ad umbilicum, & etiam cum eo communicat ratione substantiæ: unde debilitantur actiones multæ, & fiunt concoctiones deprauatæ, & aggregatur materia pituitosa. Ad hæc uterus communicat cum hepate, & uenis ratione

uaso-

Fundus uteri accedit ad umbilicum

uasorum, ut patet ex anatome, propterea sæpe incidunt in hydropem tales mulieres ita affectæ: consentit etiam cum corde per consensum arteriarum: à corde enim ad uterum perueniunt arteriæ notatu dignæ. Vnde in syncopen incidunt sæpissime, & ita refrigerantur, ut non sentiunt uirtutem uitalem. Præterea per neruos cum cerebro, & cum omnibus membris membranosis consensum habet non per contactum & hoc non quod multos habeat neruos à cerebro, sed propter similitudinem: ut bene dicit, Galenus quia mēbranosa est substantia uteri, in qua conuenit cum neruis, & perconsequens cum cerebro: inter enim res similes substantia maior est consensus. Cum igitur uterus per consensum, per contactum, per uicinitatem, & similitudinem afficiat alia membra, quæ affecta, & ipsa aggregent multa excrementa, quæ deinde transmittantur ad uterum, committitur circulus, & ita fit pessima ægritudo. si accedit membrum mandans ad essentialem uteri læsionem paucæ mulieres ita affectæ euadent, nisi sagacissimos reperiant medicos: Et hæc satis de causis intrinsecis menstruorum præter naturam tam per consensum, quam per essentiam. Causæ extrinsecæ, ut seruemus eundem ordinem, & dicamus primo de his quæ faciunt uirtutis robur, sunt quæcunque augent sanguinem, caloremq; innatum, & ipsos spiritus, in quibus robur uirtutis consistit, sicut est aer moderatus, exercitium moderatum. Causæ dilatationis uiarum extrinsecus accedentes sunt calor aeris, regionis,

nis,constitutio calida temporis, & anni: & propterea non mirum est, si in æstate faciliores fiunt excretiones, quam hyberno tempore: quia in æstate uenæ omnes sunt apertiores. deinde uigiliæ, quia calefaciunt corpus ira, timor, & quicunque animi motus subiti faciunt apertionem uenarum: deinde coitus immoderatus, & præcipue ille coitus, quo utuntur isti, genus sodolitarum comburendum, cum pueris, uel de coitu Anaxionis intelligas. præterea crebræ, ac multæ purgationes menstruæ, cibi abstergentes, aperientes, potus amari, uina alba tenuis substantiæ, & omnia prouocantia urinam, uias aperiunt. Causæ mediæ inter intrinsecas, & extrinsecæ sunt corporis temperatura calida, habitusq; laxus. Causæ extrinsecæ generantes multitudinem sanguinis sunt aer temperatus, calor regionis temperatus, constitutio temporis, & anni temperati: tranquilitas animi, gaudium, moderatum exercitium, coitus moderatus, somnus moderatus, cibi boni alimenti & chymi, concoctuq; faciles: uinum dulce, tenue, album, præcipue si bene concoquatur. Causæ mediæ generantes sanguinem] sunt temperatura corporis, & habitus temperatus. Quæ pituitam generant sunt somni longi, aer frigidus, otium multum, tranquilitas animi, hoc est nihil cogitare, multus, & frequens coitus, abstinentia à coitu longa: omnia enim hæc refrigerant. Item cibi humidi, frigidi, ut lactuca, olera, pastacea omnia, uina crassa, nigra, potentia, quæ non bene concoquantur. Quæ uero bilem generant sunt aer cali=

q̃ sint causæ extrinsecæ sanguinis generantes

q̃ pituitam

q̃ bilem

calidus, & siccus, tristitia, motus corporis multi, uigiliæ, cibi calidi & sicci, acres & potentes, temperatura calida & sicca. Quæ generant bilem atram (loquor de naturali) caliditas maxima, & intensa est causa immediata humoris melancholici: non autem frigiditas, ut quidam uolunt. Nam multi credunt frigiditatem, & siccitatem abundare in humore melancholico, sed non est uerum; quia ex caliditate immodica fit humor melancholicus; & aliud est temperatura frigida & sicca: & aliud humor melancholicus. Neque uero ualet sic argumentari melancholia est frigida & sicca: ergo temperatura frigida & sicca est melancholica: sed potius qui sunt frigidi & sicci abundant pituita, ut senes ex secundo de temper. ubi autem plus est caloris, ibi fit melancholia, & hoc est, quia est multum sanguinis, qui calidus est: atque plurimi ex sanguineis fiunt melancholici; quia ubi plurimum est sanguinis, ibi etiam multæ sunt feces. ubi igitur est superabundantia caloris excedens, & superassans, generatur melancholia. unde deliria fiunt in autumno, ubi in æstate magnus æstus præcesserit. Item aer nebulosus, regio, tempora ualde calida generant melancholiam: nam aer nebulosus, ut tertio Epid. dicit Galenus facit spiritus etiam tenebrosos, quia non possunt bene difflari, nec etiam calor innatus, quoniam spiritus & calor crassefiunt. unde quum non possint euentari, fiunt crassiores seipsis, & super assantur: & hinc est, quod habitantes in paludibus maxime efficiuntur melancholici

q atra bilē

valde not

q sut p̄ natura sanguinei sæpius melancholici efficiuntur

ci propterea quod non difflantur humores, sed in=crassantur.

Cum iam habuerimus omnes morbos, qui in utero contingere possunt satis distinctos per suas causas ea methodo, ut facile appareat non posse neque plures, neque pauciores esse, ex eisq; elegerimus fluxum menstruorum præter naturam, ac circa hanc rẽ, ut exquisite procederemus, proposuerimus omnia illa, quæ in simili materia essent indaganda. & primo naturam rei inuestigãdam, ex qua inuenimus semper quinque principia, seu capita esse consideranda in ipsa fluxione, quorum omnium iam quadam serie inquisiuimus causas, & tandem deuenimus ad membrum recipiens, quod erat quintum caput à nobis propositum. Quemadmodum enim causas intrinsecas facientes fluxionem menstruorum præter naturam explicatas: ita nunc causas habebitis per essentiam. quænam sunt causæ facientes, ut uterus patiatur per essentiam, & inducentes fluxionem menstruorum præter naturam? Hæ autem sunt communes omnibus: & sunt omnis aeris excessus occurrens ipsi utero, præsertim quando sedent mulieres in aliquo loco frigido, ita ut refrigeretur uterus ab aere ascendẽte: deinde quando mulieres habent beneficium uentris, & cacant, uentus ascendit ad uterum, & ista est una ualidissima causa alterans temperaturam uteri, ut postea per essentiam ægrotet. tum lotiones odoriferæ calidæ, & suffimenta facta ex rebus odoratis calidis, & aperientibus, quæ solent sæpe

face=

facere istæ delicatæ mulieres, ut odore iocundo, & munditie delectent suos uiros & maritos, uel amantes: Lauant enim sese herbis odoratis, quæ lotiones sunt calidissimæ, & alterant uterum, & sunt maxime pernitiosæ. præterea plurimus coitus, & frequens, ut quando mulier delectatur multo coitu: ex ea enim frictione aperiuntur uiæ, & præcipuæ si coeat cum uiro habente maximum instrumentum secundum tres dimensiones. Item ubi mulier habeat, uel habuerit conceptus difficiles, & sæpe ob id moriatur partus in utero: tunc enim fit maxima uiarum apertio, & læsio essentialis uteri, & ita mulieres, quæ habent partus difficiles, habent etiam uias latas ratione doloris, & acquirunt malam uteri dispositionem, & incidunt in menstrua uaria præter naturam. deinde hoc prouenit uitio obstetricum: nam quandoque obstetrices ineptæ. dum tractant partes illas, dilacerant eas manibus: sicut ego cognoui nobilissimam, & pulcherrimam Venetam, cui inepta, ac imprudens obstetrix partem pudendi auulsit credens se extrahere fœtum. deinde cibi aperientes, & uina alba, potentia, aperientia præparant uias, ita & intemperies aliqua calida nimis naturaliter existens in utero hoc idem facit. deinde mala compositio siue naturalis, siue aduentitia facit in utero fluxionem per essentiam: inter reliqua natura prouidit ipsi utero, & circa os pudendi fecit quandam carnem magnam, siue carunculam prominentem, & quasi ostiolum, quod prohiberet, ne aer frigidus ingrederetur,

deretur, & afficeret uterum, aliàs offenderet matricem, ista quidem caruncula à Græcis appellatur νυμφὴ, à nostris uero nescio quomodo nominetur, nisi sit præputium muliebre. Vnde contingit quandoque huiusmodi caro est admodum gracilis, & arida, ut non poßit tegere, & cooperire pudendum, & ita non potest defendere aerem, ne ascendat: atque contingit in aliquibus quod ista caro ex morbo Hispanico, Neapolitano, seu Gallico, uel alio morbo pereat omnino, & abscissa sit. Quapropter os matricis remanet apertum, & uterus præparatur maxime ad tales ægritudines. postremò uidendum erat, quænam essent causæ extrinsecus facientes gonorrhœam: nam magni refert hoc scire, quum distinguatur gonorrhœa à mẽstruis albis, quam distinctionem plurimi medici ignorant, & spero me facilè ostensurum, quot errores contingant in curandis his affectibus mulierum. Causæ igitur extrinsecus facientes gonorrhœam sunt aer calidus extrinsecus, qui aperit meatus, (calidi enim est aperire) & facit aptitudinem ad fluxus: deinde labores corporei dilatantes, Sol, animi motus, fortes etiam imaginationes de suis amatoribus præsertim illarum, quæ domi custodiuntur reclusæ: namque talia mulieribus cogitantibus excidit semen, & ita continuè excidendo incidunt in gonorrhœam: tum coitus frequens, & nimius: quoniam ex hoc maxime dilatantur uiæ, & debilitatur uirtus contentiua: atque contrà nimia à coitu abstinentia est causa gonorrhœæ in mulieribus, sicut etiã

in uiris:nullam enim habent differentiam in hoc:propterea quòd ex ea aggregatur maxima copia seminis, & ita corrumpitur, quo corrupto uirtus expulsiua irritatur, & insurgit ad expellendum, ipsumq; expellit. Amplius cibi nimis aperientes præcipue multum seminis generantes, qui cibi sunt calidi, & uentosi. postremò uina alba potentia generantia semen: naturalis temperatura calida, præcipue renum, & testiculorum: & ita propter huiusmodi causas dictas facile incidunt in gonorrhœam: & istæ sunt causæ omnes tum internæ, tum externæ, quæ faciunt quamcunque speciem fluxionis præter naturam, quibus sic expeditis causis nunc de signis habendus est sermo. Signa autem sunt in triplici differentia: quædam enim sunt signa, quæ protendunt ægritudinem futuram, & sunt prognostica, quædam quæ protendunt præsentē ægritudinem, quædam quæ portendunt futurum euentum morbi: uidelicet an morbus sit habiturus fœlicem euentum, necne? Hæc omnia docto medico sunt cognoscenda: siquidem sine his omnis medicus deficit in arte sua, maxime uerò circa prognosticationem se debet exercere sensatus artifex, iuxta illud Hippoc. in principio prognost. Nam hæc pars est utilißima medico, quia affert illi maximam gloriam: deinde utilis est ipsi infirmo, quia si medicus prædicit illi aliquid de futura ægritudine, consolabitur ægrum qui etiam cauebit à multis, & ita ægritudo peccaueri poterit, ista est optima pars medici: nec secus accidit optimo medico, quam

de signis

etiam

etiam optimi agricolæ. proponamus igitur signa portendentia futuram fluxionem menstrui. Vbi uidebitis prouenire grauitatem, & caliditatem in toto corpore, & quasdam laßitudines ueluti ulcerosas, tunc primum erit uobis signum, quod incipit moueri, & agitari sanguis, qui uult fluere, & descendere ad uterum: secundo apparet dolor & grauitas capitis propter multos uapores ascendentes: deinde apparet dolor, & calor magnus circa spinam & renes, & lumbos: circa spinam quia multæ uenæ, & maximæ ueniunt à caua uena, & tendunt per ipsam spinam, unde spina incalescit, & ratione caliditatis præter naturam fit dolor. præterea plurimæ arteriæ deuenientes ad uterum adhærent dorso, & quia ibi feruet sanguis, & commotus est, & facit tensionem: eam ob rem percipitur maximus dolor, & calor, qui est præter naturam. insuper percipitur dolor in renibus propter maximum consensum, quem habent renes cum matrice. (Attendatis, quia mulieres magis nobis confidunt, ubi tntelligunt nos sua negotia scire,) & magis dolent in rene sinistro, quam in dextro: nam scitis ex corporum incisione, quod à rene sinistro ramificatur quædam uena notabilis, quæ deueniat à uena caua ad uas seminarium, & uadat ad uterum. accedit quòd percipitur dolor circa lumbos, hypochondria: & quoniam oẽs uenæ descendentes per lumbos decurrunt, tument uentre ita, ut nonnullæ uideantur prægnantes, & hoc ratione multæ aggregationis materiæ: præter quæ uidetur

grauitas circa uentrem, maxime circa os ſacrum propter fibras neruorum, quæ omnia uertunt ad inteſtinum rectum. Amplius apparet quædam uteri attractio circa inguina, & dolent coxæ: fortè ratio eſt, quia quum uenæ ipſæ replentur de neceßitate in longitudinem abbreuiantur, & retrahuntur, & quum retrahantur neceſſario & uterus retrahitur, & per conſequens inguina, & ita conſentiunt coxæ, & dolent: iſta ſunt ſigna futurum fluxum portendentia, & ſunt maiora, aut minora, prout fluxus maior, uel minor debet fieri ſecundum diuerſitatem corporum mulierum. Noui ego mulieres, quæ coguntur decumbere in lecto, quando imminet iſte fluxus. Signa uero indicantia præſentem fluxionem ſunt hæc: primo apparet pallor in facie ſemper à quacunque cauſa fuerit fluxio, ſiue à ſanguine, ſiue à bile, ſiue ab alio humore fuerit; ſi ſanguine: ipſe derelinquit partes ſuperiores: ſi à pituita totum corpus redditur frigidum, & album, ſed inter partes faciei maxime genæ oculorum efficiuntur pallentes; atque etiam apparent liuidæ, & ſubnigræ: quoniam membranoſæ ſunt, & exangues, & quum refrigerantur magis patiuntur, quam carnoſæ partes: quippe quæ derelinquuntur à calore innato, & ſpiritibus, ita ſubnigræ fiunt. præterea acies oculorum non eſt clara, & lucida: quoniam ſpiritus omnes ſunt conturbati propter maximam motionem ſanguinis in toto corpore: & hinc ratio cognoſcitur, quare mulieres menſtruatæ intuentes ſpeculum ſtatim ipſum

reddit rõnē q. mulieres menstruate speculū intuentes inficiāt

ſum

ſum inficiunt, & eſt ſecundum Ariſto. in libro de ſomno, & uigilia: quoniam per contactum aer, qui contangit oculum inficitur, qui infectus poſt inficit ſpeculum: nam ratione motionis ſanguinis agitantur ſpiritus, qui deueniunt ad oculos, & propter uaporum craſſorum admiſtionem inficiuut aerem contangentem oculum, & ille aer alium inficit, donec aer ille ultimus contangens ſpeculum ipſum inficiat. Secundum uerò Galenum hoc euenit propter exitum iſtorum uaporum inficientium ſpeculum. Deinde ſubſequitur aliud ſignũ anhelitus non bonus, quandoque etiam fœtens: nam ſemper mutatur ad deteriora, quia putridi uapores admiſcentur ſpiritibus, & quoniam tales habent calorem naturalem magis debilem tum propter uapores, tum quia calor decumbit inferius, ob id non bene concoquunt, ſed faciunt omnes concoctiones peiores, ac deteriores: & quum non bene concoquunt, ſemper modo nitroſa, modo acida eructant prout calidi & frigidi ſunt uentriculi: quæ ſi frigidioris fuerint uentriculi acida eructabunt: ſi calidioris nitroſa. præterea in uentre habent perpetuam grauitatem, eandemq́; inguinum contractionem percipiunt, & coxarum dolorem: iſta ſunt ſigna indicantia præſentem menſtruationem. Signa porrò indicantia futurum euentum, ſunt etiam à nobis cognoſcenda: ſed quoniam iſta ſigna conſequuntur menſtrua, à quacunque cauſa, & ſunt communia ad quamlibet cauſam oportet, ut diſtinguamus unamquamque ſpeciem. Propoſuimus (ut ſcitis) illa

quinque capita, membrum mandans, membrum recipiens, uirtutem ualidam &c. à quibus solent prouenire menstrua, & secundum hæc capita inuestigamus causas, ita & in signis tradendis faciemus: nam ita signa trademus, ut correspondeant causis secundum ista capita. Signa igitur indicantia, quod sit membrum mandans dicebamus quod ad hoc, ut cognoscamus membrũ mandans debemus obseruare, & considerare genus & naturam humoris fluentis: nam si fuerit sanguis, est uidendum, an sit purus necne? dummodo non sit affectus uterus essentialiter: si sanguis fuerit purus necesse erit dicere, uel quod hepar generat, & multiplicat plus sanguinis, quam debeat, & poßit continere, uel quod in toto ambitu uenarum est huiusmodi sanguinis abundantia, & ita ubicunque defluxerit sanguis purus, causa erit necessario alterum istorum duorum, sed difficile admodum erit uidere, quomodo hepar generet multum sanguinem, & uenæ non sint plenæ: si uerò sanguis non est purus, sed sit tenuis citrinus, & feruens, dicatis ipsum emanare ab ipso hepate magis calefacto: si uerò aquosus fuerit, dicatis ipsum emanare ab eodem hepate, sed frigidiori facto. Quod si fuerit pituita, quæ defluat, hoc est, menstrua alba, & fuerit uera pituita alba, simplex, & pura, dicetis uentriculum maxime redundare mucositatibus, & cerebrum nonnihil distillare: neque uidebitis unquam pituitam per totum corpus emanare, quin uentriculus, & cerebrum patiatur. Vnde recte autor ille de ægritudinibus

bus muliebribus siue modo Hipp. siue Galen. siue alius fuerit in eo libro non ad aliud refert causam menstrui albi, quam ad uentriculum, & cerebrum. Quod si fuerit bilis, dicetis quod membrum mandans est hepar, & chystis fellis, & totus ambitus uenarum. Si uero fuerit melancholia uel hoc erit propter maximam adustionem, uel quia multa fex abundat in toto corpore: cognoscetis autem ex habitu corporis. si enim est sanguineum, erit ex fece sanguinis melancholia: si biliosum erit ex bilis adustione nimia, & ita à natura humorum semper cognoscetis membrum mandans, dico ubi uterus patiatur fluxum per consensum. deinde semper uidebitis quod mulier conqueretur de dolore illius partis, quæ erit affecta, & semper in ea erit aliquis tumor, de quo non pauca erit uobis indicatio, ubi sit uitium, & quod sit membrum mandans. Sunt modo uidenda signa indicantia fortitudinis, & sunt hæc: quum enim uidetis nõ esse in corpore signa multitudinis existentis quoad uasa, & tamen uidetis continuum fluxum, tunc indicate quod non est multitudo, quæ aggrauet; sed est fortitudo uirtutis non potentis tollerare ne modicam quidem læsionem. Signa indicantia latitudinem uiarum sunt, ubi uidebitis temperaturam hepatis calidam, & uenas exteriores amplas, interiores etiam tales erunt: etsi audieritis sæpius peperisse, & plura excrementa menstrua habuisse, hoc erit indicium latitudinis uiarum. Signa porrò indicantia dominium humoris: si fuerit sanguis cognoscetis ex tem-

ad qd albũ menstruũ referat

peratura calida, ex colore ſanguine, ex dolore, ex ue nis tumidis, uel tumefactis: deinde ſi uixerit in multo otio, & in delitijs. Item ex fluxione ipſa poteritis co= gnoſcere humorem fluentem, & poteſtis percunctari, ſi menſtruum fluit ſine eroſione, & ſine acrimonia, & tunc erit indicium ſanguinis. Cæterum ſignū quod tutius eſt, & nunquam uos fallet, erit inſpicere pan= nos lineos: nam ſi in eis nulla relinquatur macula, erit ſanguis: ubi uerò maculæ apparebunt, ex inſpectione macularum illarum cognoſcetis dominium humoris, quoniam ſi multa albedo apparebit, erit pituita: ſi ma= culæ citrinæ relictæ fuerint, erunt ex bile: ſi uirides ex praßina. Si uero fuerit dominium pituitæ, facies mulieris apparebit ſub tumida, coloris plumbei, mu= lier erit ſine ſiti, & ſine appetitu: quæ etiamnum ab= hominabitur coitum, quia mortificata eſt uirtus ex ni mia refrigeratione, & ſicut ſemimortuæ habent per= petuam frigiditatem circa uterum. Amplius ſi accipia tis pānos illos lineos triplicatos, ponatisq; in plicatu ris cinerem, deinde ponatis ſub utero, ita ut defluat ſu per illis fluxus, ſi in cinere apparebunt guttulæ ſimi= les muco, tunc erit ſignum hnmoris pituitoſi, & ſi illæ guttulæ erunt tenues, & citrinæ erit ſignum bilis, & ſi habebunt alium colorem, ex eo cognoſcetis humorē dominantem, & hoc experimentum, quod ponit ille autor de morbis muliebribus eſt uerum, & nunquam uos decipiet: præterea ex iſto experimento aliud com= modum habebitis, quod ille pānus, ſeu ſacculus etiamſi

docet suam experientiam

oſtendat

ostendat uobis dominium humoris, erit etiam loco medicinæ, quia corroborabit, & exiccabit uterum; adeo omnia bene excogitarunt antiquiores, ut bilis fuerit, quæ dominetur, color faciei erit citrinus. postremo mulier percipiet caliditatem in dorso, uel circa spinam, & hepar erit temperaturæ calidæ, & totum corpus calidum & siccum erit: sicut dicit Galenus secundo de temper. & secundo artis paruæ: & istud est perpetuum signum in bile peccante.

Itaque ubicunque est aliquis fluxuus, uidendum est utrum sit bilis, quæ fluat (intelligo semper defluxionem, quæ fit per consensum) ut autem cognoscatis bilem esse primo considerabitis temperaturam corporis: nam si calida & sicca fuerit, iudicabitis huiusmodi eße bilem: deinde fluxum biliosum cognoscetis ex colore citrino in facie, ex pallore totius corporis, & imbecillitate, & gracilitate: deinde uero istæ, quibus menstrua biliosa fluunt appetunt coitum: quæ tamen ex coitu patiuntur, & percipiunt nocumentum, quia dum attrahuntur materiæ plures, quam oportet, defluunt, & faciunt erosiones. Item percipiunt caliditatem in dorso, & dolorem similiter in lumbis, ubi ramificantur rami uenæ uteri: quæ omnia indicant multam bilem eße collectam in corpore. deinde si molestatæ fuerint plurimis animi accidentibus, et multis corporis motibus, si biberint uina potentiora, si usæ fuerint uictus ratione calida, & sicca, & comederint cibaria acria: qualia sunt alia, & cepe. si uersatæ fue-

fuerint in aere calido, omnia hæc faciunt non leuem coniecturam bilis. Sed de unum, quod uos nunquam decipiet, est, ut inspiciatis pannos illos lineos, super quibus defluit humor, & ita considerabitis colorem, & substantiam humoris. Si uero fuerit melancholia, quæ dominetur in menstruis mulier erit colore subruffo: nam quale dominium humoris est in corpore, talis color apparet in toto. Sed quoniam bonus medicus nõ tantum debet scire, & cognoscere ex uisu: uerum etiã ex coniectura, ideo per coniecturam etiam hæc cognoscet: nam si in facie apparebit cutis subnigra, tunc erit coniectura humoris melancholici. deinde si mulier patiens menstrua prius uexata fuerit ab aliquo tumore lienis postea dum menstrua fluant, dicat se liberatam esse, & non amplius uexari, signum erit humoris melancholici: & causa est, quoniam quum lien sit receptaculum humoris melancholici, quum uexabatur tumore lienis, signum erat multam materiam melancholicam ibi aggregatam esse: atque quum menstrua aduenerunt, liberata fuit, quia materia illa faciens tumorem fuit euacuata per uterum. Insuper si mulier fuerit sanguinea in principio, & temperaturæ calidæ, quia in tali multiplicatur sanguis crassus, maxime si usa fuerit uictu crasſiori, si multum laborauerit, & molestata fuerit multis accidentibus animi: si feces tenues, adustæ & nigræ fuerint, incidet in huiusmodi fluxiones melancholicas: quod magis cognoscetis ex pannis lineis, quòd si fuerit dominium melãcholiæ maculas

ha=

habebunt ad fuſcedinem, & nigredinem tendentes. Si igitur mulier abundauerit plurimo ſanguine craſſo, incidet in fluxionem melancholicam: contra in bilioſam ſi humor tenuis fuerit abundans in toto corpore. Si fuerit humor æruginoſus, & praſſinus, qui dominetur in menſtruis, ſigna hæc erunt, uentriculum male ſe habere, & ſi mulier dicat ſe uexatam eſſe eructationibus, erit coniectura æruginoſæ bilis. deinde ſi eroſionem percipiet in exitu, & calor etiam indicabit totam materiam, & propterea poteritis inſpicere in pannis lineis, ubi defluxerit materia: nam ex maculis relictis in panno cognoſcetis humorem peccantem: & hæc eſt una omnium humorum congnoſcendorum regula. Si humores in fluxu fuerint commiſti, ſigna etiã apparebunt commiſta: nam ſi color citrinus albus, & rubeus fuerit, indicium erit omnium humorum ſimul exiſtentium: & hæc ſatis ſint quantum ad omnia ſigna, & cauſas fluxionis exiſtentis in utero per conſenſum. Reliquum modo eſt, ut uideamus ſigna, quando fluxio eſt eſſentialis in utero .i. quando eſſentialiter uterus patitur: iſta autem ſigna non debent ſumi à rebus communibus, ſicut ea ſumpſit Auic. nam ex colore humoris non poſſumus iudicare utrum uterus ſit eſſentialiter affectus: quia poteſt aliquid citrini humoris fluere ex utero, & tamen nulla erit caliditas in ipſo. oportet igitur uidere propria ſigna indicantia uterum eſſe affectum eſſentialiter. Signa autem erunt, ſi uterus ſit affectus ex intemperie ſua, uerbi gratia ex

cali-

caliditate, ita ut declinet à temperamento per caliditatem, mulierq́; percipiat ad tactum caliditatem manifestam circa matricem & in parte externa, & in parte interna. deinde à calidis utero adhibitis lædetur: à frigidis autem iuuabitur. Atque rhagadibus, & pruritu magno afficientur circa extimam cutem, & tandem erit obnoxia omnibus ægritudinibus, quæ fiunt ab intemperie calida. Quod si etiam perpetuò habebit siccitatem in illis partibus, tunc indicium erit de manifesta caliditate: quæ concipit, pariet masculos: Si caliditas uteri fuerit iuncta cum siccitate puer, quem pariet erit colore nigro, tales etiam habebunt menstrua citrina, quæ putrefacta erumpent aliquando cũ erosione. Solent etiamnum pati pruritum circa pudenda, & excoriationes propter moram, & sæpe ante partum habent impetigines & παρασόματα circa pudenda. Si uero caliditas illa fuerit iuncta cum humiditate, tunc illa caliditas non erit ita mordax, & pudendum suum nunquam erit siccum, sed semper humidum, & illæ partes semper erunt fœtentes propter humiditatem in illis partibus putrescentem: atque tales leui de causa aboriuntur. Si uero fuerit intemperies frigida & humida, ille uterus semper rheumatizans erit ratione caliditatis diminutæ, tum quoniam non potest conficere proprium alimentum, tum etiã quoniam imbecillior se ipso redditus facilè aliunde recipit excrementa, quia tunc omnes superfluitates descendunt ad illum. Quod si frigiditas fuerit iuncta cũ

sic-

ſiccitate,uterus quidem erit rheumatizans tum ratio= ne frigiditatis,propter quam non poteſt concoquere proprium alimentum , tum ratione ſiccitatis corpus uteri redditur denſum,& minus idoneum ad recipien da excrementa iuxta illud Galeni 6. de locis affectis. eſtq́; unum aliud adnotandum, quod ubicunque fuerit frigiditas in utero iuncta cum humiditate,uel ſiccitate (licet raró cum ſiccitate iungatur) ſemper tales mulie res abhorrent coitum,& raró concipiunt,& ſi con= cipiunt,pariunt fœminas:ſed iſtæ ſæpe, & facile ab= oriuntur,& poſt ipſum abortum plurimum materiæ pituitoſæ effluit,hoc modo uos cognoſcetis uteri in= temperies. Si uero fuerit mala compoſitio in utero fa= cilé cognoſcetis:nam ſi fuerit apoſtema, ſeu inflamma tio aliqua in utero,erit febris acuta, intenſa ariditas, dolor,urinæ retentio,ita ut urina nequeat quandoque reddi. Si fuerit ſcirrhus ex grauitate cognoſcetis:pro pterea quod percipiet grauitatem ex tactu á malo co lore mulieris:ex alijs quoque ſignis deprehendetis: at que hæc ſatis ſint de omnibus ſignis affectuum, qui con tingunt utero eſſentialiter. Quia uero etiam de cauſis gonorrhœæ aliquid diximus , merito etiam de ſignis indicantibus gonorrhœam, & diſtinguentibus ipſam á fluore,ſeu menſtruo albo aliquid dicendum eſt. pri= mo enim gonorrhœa diſcernitur á fætore,& á calo= re albo:nam fluor ſeminis eſt perlucidus,clarus , non uiſcoſus,ſicuti reliquus,magiſq́; concoctus: quoniam ſu perfluitas ſeminis eſt melius concocta, quam ſit pitui= ta,

nota

ta. Nam semen mulieris autore Galeno in 4. de usu partium respondet colore semini uiri, uel potius humiditati, quæ præcedit semen uiri à glandulosis carnibus emanans: scitis enim quod dum aliquis delectatur cum mulieribus, & est in illa imaginatione ante, quam coeat cum muliere, exit quædam humiditas e pene tenuis, & illa humiditas assimilatur semini mulieris. deinde uero à quantitate cognoscitur: si quidem non tantum seminis prodit in gonorrhoea, quantum pituitæ in fluore albo. quæ patiuntur gonorrhoeam, imbecillitatem, & dolorem percipiunt in toto corpore, & maxime circa dorsum, & quia ibi generatur semen, & accipit formam seminis, longe maiorem percipiunt imbecillitatem, & dolorem, quam in menstruis albis: quoniam semen est utilis superfluitas, & facit ad substantiam solidorum membrorum non sine dolore exit: atque tales mulieres non sunt multum frigidæ, sed potius calidæ sunt contrariæ prorsus illis, quæ patiuntur menstrua alba, quæ plerunq; frigidæ sunt. quomodo autem ex colore, & acrimonia, erosione, substantia, qualitate, & quãtitate gonorrhoea distinguatur à mẽstruo albo facilius est cognoscere, quam ut dicatur à nobis: & hæc sint dicta in uniuersali de quacunque gonorrhoea: nunc de signis singularum specierum gonorrhoeæ dicendum est. Si igitur propter multitudinem seminis facta fuerit gonorrhoea in muliere, talis mulier habebit bonum habitum corporis, lautè & opulenter uixerit, usa fuerit uenere rariore, & si diu ab-

abstinuerit à coitu, potest esse signum gonorrhoeæ propter multitudinem seminis. Est & aliud signum maximum, quod dum exit semen, non percipit, imbecillitatem, imò iuuamentum potius, & robur percipit, et uidetur leuior, & fortior fieri: et hoc indicat gonorrhoeam esse propter multitudinem seminis, quoniam euacuatione illius materiæ fortificatur, quum superflua materia euacuatur. quod defluit, non differt substantia, & colore naturali seminæ, quod exit in coitu, quinetiam illud semen exit cum delectatione: & hoc est quod ænigmaticus, confusúsq;, & sine distinctione dixit Auic. quando exit semen in muliere cum delectatione in gonorrhoea: uobisq; iuuenibus facile est scire, quo modo curentur mulieres patientes hanc gonorrhoeam. Si uero fuerit gonorrhoea propter seminis tenuitatem, facile apparebit ex substantia seminis. Quod si fuerit ratione alicuius malæ qualitatis calidæ, dicet illa se maximam acrimoniam, mordacitatem, & erosionem sentire in exitu, et color erit malus præter naturam. Si uero fuerit propter imbecillitatem uirtutis contentiuæ, patientes summam imbecillitatem percipiunt circa dorsum, & ut ipsæ dicunt, uidetur illis totum corpus esse marcidum, & uix possunt se erigere: istæ abhorrent coitum, & maximum nocumentum accipiunt ex coitu: in quibus perpetuò emanat aliquid, quod non contingit in alijs gonorrhoeis: nam aliæ gonorrhoeæ habent aliqua interualla, & illud quod exit non est coctum, sed est materia satis tenuis: ali=

aliquando etiam sanguinolenta, quia propter imbecil litatem non potest bene concoqui, & dealbari. Sin uero fuerit gonorrhœa propter corruptionem seminis, & putredinem: uel erit quoniam se nimis abstinuerit à coitu, uel erit propter nimiam caliditatem locorum: ex putrefactione enim uirtus ad expulsionem excitatur, & fit gonorrhœa. Hanc autem cognoscetis à fœtore seminis prodeuntis, et in anteriori, indusii parte & pannis lineis existentis: atque apparet maximus calor in dorso: ista sunt signa omnia indicantia non tantum gonorrhœam, sed etiam omnes eius species distinctas. Et hæc hactenus de omnibus signis fluxionum menstruorum, & seminis præter naturam. Reliquum est, ut accedamus ad curationem singularum specierum: sed prius oportet uidere unum, quod est multum perspicax, & necessarium, & est ut consideremus iudicium morbi. nam non tantum oportet cognoscere causas, sed oportet etiam prognostica scire, & præuidere futurum: utrum sit bene terminatura ægritudo, an male? primum ex comparatione causarum inter se, deinde ex motu, tum ex temporibus, postremò ex termino. Quantum ad comparationem causarum inter se, scitis nos reduxisse fluxionem ad quinque capita, et quinque requiri ad ueram fluxionem uirtutem expellētē, membrum mandans, membrum recipiens, per quas transit humor uias, denique humores. ista sunt quinque capita, in quibus omnes causæ considerantur; Oportet modo comparare singula ista, ut totam

positis signis accedet ad curationes singu. specierum

natu-

naturam morbi præuidere posſimus, & cognoſcere quid futurum. Et primo quantum ſpectat ad uirtutem fortem, uel debilem, ſi comparetis uitium, quod eſt in uirtute forti expulſiua cum uitio, quod eſt in uirtute retentiua imbecilla, & uelitis uidere utrũ uitiũ ſit deterius: uidebitis, quod longe deterius eſt uitiũ uirtutis retentiuæ debilis, quã uitiũ uirtutis expulſiuæ: nã cauſa fortitudinis uirtutis expulſiuæ eſt ſpirituũ multitudo, robur caloris, & ſenſibilitas membri, ita ut ne minimũ quidẽ nocumentũ percipere poteſt, quin ſtatim expellat illud, & niſi eſſet uirtus ita ualida non expelleret. Cauſa uero imbecillitatis uirtutis retentiuæ eſt laxitas, uel laxatio mẽbri, tẽperatura mala, calor debilis: ergo deterior eſt diſpoſitio mẽbri, ubi eſt retẽtiua uirtus debilis, quã ubi eſt uirtus expulſiua fortis: quia facilius emendatur uitium, quod prouenit à uirtutis fortitudine, quam quod prouenit à debilitate uirtutis: propterea quòd difficilius eſt addere robur, quam demere. Si uerò fluxus fuerit propter latitudinem uiarum, ſcitis hunc eſſe difficillimum curatu: cum membra lata ſint intima, & non poßint ita facile constingi uenæ illæ interiores. Iudicium uerò quod ſumitur ab humoribus, & cauſis materialibus per comparationem inter ſe, facile erit uidere, quis humor faciat deteriorem fluxionem. Nam ſi fuerit ſanguis ſolus, quamuis fluxio illa perſeueret, quùm ſit humor utilißimus maxima incommoda ferret, & deberet dici difficilis ratione ſubſtantiæ excretæ, tamen propter facilitatem

nota

emendandi (est enim sanguis humor benignus, qui facile obedit) longe facilius curatur fluxio pendens à sangnine, quam fluxiones reliquorum humorum. Si uerò fluxio prouenit à pituita, tametsi ratione excrementi non debebat dici pernitiosa, tamen quia difficillime emendatur, est longa, & diuturna, & peßima est, quia chronica, & uix potest remoueri ob frigiditatem. Si fuerit fluxio biliosa, humor biliosus facit sæuißima accidentia facit rhagades, & peßima morborum genera. Quare fermè semper talis fluxio terminatur ad malum. Sin autem fluxio fiat à melancholia longè deterior erit, & deteriora, pluraq́; incommoda faciet, quam illa, quæ pendet à bile. Nam primum non minus longa est, quam quæ fit à pituita: deinde etiam habet accidentia peßima, sicut cancros, scirrhos, & ulcera erodentia. Et ideo pernitiosißima est, si fluxio fuerit ab humore æruginoso, & praßino dicendum est has quoque fluxiones peßimas esse. Iudicia porrò quæ sumuntur à membro recipiente ab utero, sunt hoc modo obseruanda: ubicunque uterus erit male affectus essentialiter, raró curabitis ipsum, siue sint inflammationes, siue ulcera, siue malæ temperaturæ: omnia enim hæc sunt difficillimæ curationis tum ratione membri, quoniam membranosum est, & exangue, & non facile excutitur, quod illi inest: tum etiam ratione maxime sensibilitatis, quia quum sensibile admodum sit non poßunt bene remedia applicari: siquidem offenditur, & excitatur à quacunque causa

etiamsi leuissima sit, ita ut medicus non potest operari: quod quidem medicamenta facilia non curent, uehementia exasperant. præterea uterus est sentina omnium excrementorum in corpore existentium: nam omnia excrementa defluunt ad uterum, id quod etiam impedit curam: est & aliud incommodum, quod mulieres propter pudorem nolunt fateri ueritatem: tametsi coactæ sunt plerunque dicere ueritatem, nolunt tamen facere, quod iubent medici: neque uolunt in ea parte admittere medicamenta. Hoc mihi semel accidit, cum curarem mulierem quandam nobilem menstruis albis laborantem, uolebam uterum mundificare, & ipsa rogauit me quibus cũ uellẽ mundificare: ego dixi cũ clystere in uterum iniecto: quum autẽ audiuisset me cum clystere uelle mundificare uterum, illa adeò excanduit ita, ut tota facies subitò mutaretur, & mori potius uellet, quam admittere huiusmodi medicamentum, & iussit marito: si unquam, inquit, uir mi mihi tuæ coniugi obsecuturus es, ne sinas eum medicum unquam adire meipsam, ita ut noluit me amplius uidere, maluitq; diligere aliud remedium.

Restat nunc, ut pinguiori quadam minerua de iudicijs agamus: quæ quidem iudicia sumuntur à medicis tam antiquis, quàm nouis penes motum, ut quando ægritudo uel uelocior mouetur, uel tarde: nam aliter curamus ægritudinem, quæ habet suos motus uelocissimos, & aliter quæ tardos habet motus. Si in fluxionibus istis fluat sanguis, proculdubio huiusmodi

fluxio est breuior, & ueloces habet motus: & quamuis omnis fluxus menstruus præter naturam sit diuturnus, & chronicus, hæc fluxio tamen quandoque peracuta, & breuissima est, ita ut quandoque uidi ipsam in septima terminari, quod nihilominus raro est, sed ut plurimum chronica est. Si uero fluat bilis erit uelocissimi motus. fluxus autem, qui à pituita, & à melancholia depēdent, tardissimi motus sunt. iudicium uerò quod sumitur penes quatuor tempora in his fluxionibus est hoc, quod semper principium in hac ægritudine longissimum est loquendo de uero principio, ut principium distinguitur contra tempora, & sumitur penes cruditatem materiæ, ita ut ferè semper occupet maiorem partem morbi. Augmentum uerò & status sunt breuissimi: declinatio est etiam longa, non tamen ita, ut principium. nam principium fluxionis menstruæ quandoque durat per totum annum, & si malè terminetur, plures moriuntur in principijs ipsis nullis apparentibus signis concoctionis: si uero principium bene terminetur, habent augmentum breue, & statum longissimum. Quærunt nonnulli utrum in fluxionibus menstruis dentur quatuor tempora? Dicatis resolutè quod in omni morbo dependente à materia habetur principium, augmentum, status, & declinatio, quodq; nullus est morbus terminaturus ad salutem, quin habeat hæc quatuor tempora: & totum principium dicitur, donec non apparet signum concoctionis. i. aliqua moderatio in materia, à qua possit medicus

dicus ſumere iudicium. denique ſumitur iudicium penes terminum, & hoc iudicium eſt ualde adnotandum: nam huiuſmodi menſtrua uel reſoluuntur, & terminantur ad ſalutem, uel permutantur: ſed paßim faciūt permutationes. Incipiamus à menſtruo ſanguineo: fluxio ſanguinea ſæpißime terminatur per fluxionem ſanguinis è naribus, quæ eſt auerſio per oppoſitum, et iſta terminatio eſt laudanda: quandoque terminatur per hæmorrhoidas, & iſta terminatio dicitur deriuatio, quæ etiam non eſt intercipienda: ſunt etiam terminationes mediæ, ut quando fluxio ſanguinea terminatur ad aliquam inflammationem extrinſecus ſe habentem, quæ terminatio neque omnino laudanda eſt, neque uituperanda: pernicioſa uerò terminatio, ſiue permutatio eſt, quando fiunt inflammationes internæ ſiue in utero, ſiue in alio, ſiue in hepate, ſicut contingit ex conſtrictione nequaquam opportunè facta ab imperito medico. Si fuerit fluxio pituitoſa habet & ipſa ſuas permutationes, quando non curatur: ſi per uomitum terminetur eſt bona, & perfecta terminatio: aliquando per diarrhœam terminatur, per fluxum uentris diarrhœæ pituitoſæ, & iſta eſt etiam bona terminatio. Mediæ uero terminationes ſunt, quando fluxio pituitoſa terminatur ad podagram: nec dicatis mulieres non laborare podagra: imò cum mēſtruis quandoque ea moleſtantur. Lætales & pernitioſæ terminationes ſunt, quando terminatur ad paralyſin, ad aſthma, ad apoplexiam, uel ad epilepſiam: ſed potius

ſunt permittenda, uel prouocanda huiuſmodi menſtrua, quam ſinere ut ad tam pernicioſas ægritudines permutentur. Si fuerit fluxio bilioſa, & permutetur ad Arquatum morbũ, græcè ἴκτερον erit permutatio laudabilis. Media uero permutatio eſt quum ad ulcera, herpetes, & eryſipelata permutatur: pernicioſa eſt, quum ad ulcera interiora, & ad phrenitin permutatur. Si uero fuerit menſtruatio melancholica ſæpe permutatur ad hæmorrhoidas, & ad uarices, & iſta permutatio eſt laudabilis, & ſalubris: quandoque terminatur ad tumores lienis, & eſt media permutatio, quæ quidem non eſt bona, nihilominus patientes euadunt, & non moriuntur, pernicioſa autem, & lætalis permutatio eſt, quum permutatur ad cancros uteri, aut mammillares: nam cancer nullam recipit curam, atque ſi permutetur ad deliria, apoplexiam, & epilepſiam, & melancholiam, peßimæ ſunt permutationes. De gonorrhœa autem dicendum eſt, quod uel terminatur ad ſalutem, uel permutatur ad tabem: quoniam conſumitur humidum ſubſtantificum, & radicale. Hæ ſunt permutationes omnium fluxionum, de quibus hactenus: & hæc ſatis de iudicijs. Nunc tempus nos uocat, ut de indicationibus agamus: ſed prius oportet uidere quid ſit indicatio, quia uolo ſemper conſulere utilitati ueſtræ. indicatio nihil aliud eſt, niſi nota indicans quid agendum ſecundum rationem à natura rei: cuius gratia uel agimus, uel affectum deſumimus curandum. Stante hoc principio quum indicatio talis ſit, ut ſemper

per

per respiciat naturam, uel affectum rei, cuius gratia agimus, quid est id, cuius gratia agimus in curationibus? Est ut inducamus sanitatem in aliquo. Sed quomodo inducitur sanitas? tollendo morbum: hic duo sunt corpus, & morbus, seu membrum, cui inest morbus. ergo si uolumus recte curare oportet, quod in omni curatione rei naturam, & affectum membri consideremus. Naturam morbi, & affectum membri explicauimus: natura enim morbi erat penes suã rationem formalem, quæ sumitur penes genus, & causas suas tam efficientes, quam materiales: affectus erat penes motum, tempora, & terminum: quæ sit natura morbi, & affectus mẽbri, & quæ indicationes pariant uidebimus postea. Sed quãdo uultis aliquem curare, habetis istos duos conceptus, nempe tollere morbum, & sanare membrum, hoc non sufficit, sed oportet hic etiam adnotare aliud, & considerare. Non enim uos sanatis, sed est natura, quæ sanat, bene uos datis remedia, sed non sanatis: quin uirtus est autor sanitatis. Igitur indicatio est à natura etiam sumenda: & uidendum est utrum natura permittat curare, necne? Nam quandoque natura talis est, ut omnino prohibeat curationem, ita ut non sinat uos aliquid operari, quandoque permittat uos, imò iubet, atque urget medicum ad curam. ergo nascitur tertia indicatio à uirtute, seu natura operante, & ita tres potißimũ sunt indicationes: una quæ sumitur à morbo, altera à loco affecto: tertia à uiribus: in his tanquam scopis debemus nos exercere: ducent

enim nos ad finem & præstabunt, ut habeamus rectas intentiones operandi. Sed incipiamus ab illa, quæ sumitur à morbo. Natura autem morbi posita est in ratione formali, & causis, quæ est ratio formalis istius symptomatis: quæro sub quo genere collocandus est iste morbus? Diximus collocandum esse sub genere fluxionis, & quod fluxio nihil aliud est, quam expulsio præter naturam excrementi de uno membro ad aliud membrum: hinc nascuntur omnes indicationes: si enim ista fluxio est expulsio de uno membro ad aliud præter naturam, ut reuera est, oportet ipsam intercipere: ex quo est præter naturam. ergo si uolumus fluxum intercipere oportet, ut auertamus, & ita nascitur ista prima indicatio prohibendi fluxionem retrahendo materiam ad optimum. Sed quoniam diximus, quod est expulsio de uno membro præter naturam affecto ad aliud iam forsitan debilitatum, eam ob rem nascitur una alia indicatio, quod debemus prouidere, ut membrum quod tam facile expellit, non tam facile mandet. Amplius ex quo transit huiusmodi materia per media uasa, oportet, ut etiam intercipiamus, & constringamus uias, ne ita facile deducatur materia: postremò oporte ut corroboremus membrum recipiens, ne tam facile recipiat, imò ut resistat, & repellat: in his quatuor consistit tota curatio. Incipiamus rursus à principio: iste fluxus est intercipiendus: quomodo? quæcunque materia sit illa, quæ fluat (nam sub conceptu fluxionis non magis unus humor est intelligendus,

quam

Fluxionis diffo

quam alius) fluxus semper est auertendus, & ad partem oppositam trahendus: sicut natura nos ducet. cur ad oppositum trahendus? quia quando est impetus alicuius humoris ad aliquem locum non potest is intercipi, nisi trahatur ad oppositum: nam si traheretur antrorsum, uel dextrorsum, adhuc etiam aliquid semper flueret: sed si trahatur ad oppositum, omnino totum fluxum intercipitur: tunc autem motus est conueniens ualde, quum citò perficitur: quod desiderabamus. Hinc uidetis, quanta sit utilitas auersionis: estq; ratio docendi similis mathematicæ, in qua semper ex principijs demonstratis alia intelliguntur rectissime. Ad ueram autem auersionem tria requiruntur: primum rectitudo lineæ: deinde rectitudo situs, & consensus uenarum: tum distantia. Rectitudo autem lineæ intelligitur, quæ constat ex minoribus angulis, quia non potest reperiri illa rectitudo mathematica in uenis existentibus in corpore humano. quanto igitur linea erit rectior, tantò melior, & facilior fiet attractio, & auersio. Nam si habuerit aliquem angulum magnum, hinc statim fiet impedimentum in illo angulo: & quanto minores erunt anguli in illa rectitudine, tanto perfectior erit attractio, & hoc est quod primo dicebat Hippocrates, deinde laudabat Galenus ita præcipiens: si non potes habere lineam rectam, elige unam, in qua sint paucissimi anguli. Et ideo Hipp. inquit: si posterior pars capitis dolet, uena frontis incisa dolorem sanat. Et Galenus in pleuritide eligit uenam eius-

dem

dem lateris. Nam plebotomia, quæ fit à latere eodem affecto est rectior, & habet minores angulos, quam phlebotomia illa, quæ fit à latere opposito, secunda cõditio est, ut seruetur rectitudo situs, ut si in parte dextra ad sinistram auertendum est: si sursum, est auersio facienda deorsum: Si ante, retrorsum: sic enim corpora naturalia, & cœlestia situm seruant rectum: quandoquidem natura semper facit suos motus contrarios: & ita debemus seruare situm, ut semper fiat per oppositum. præterea & consensum uenarum obseruare debemus & ubi sunt latiores uenæ, per eas magis ducemus: hic uidetis, quam nota nobis corpora debeant esse, ita ut tanquam digiti uestri deberent illa à uobis dignosci. tertia conditio est, ut seruetur debita distantia, ut motus auersionis bene terminari possit ad locum, ad quem repit humor, & ut motus fiat de uno termino ad alium: nam aliter motus auersionis non terminaretur ad terminum intentum, quoniam si distantia erit nimis longa, motus non poterit terminari ad terminum: quum ista seruentur, postea ad actum deueniendum est. Materiæ autem indicabunt, quo instrumento sit auertendum, utrum phlebotomia, an pharmaco? sed de hoc postea. secundum caput à quo sumebatur secunda indicatio, erat membrum mandans, quæ indicatio est, ut prouideatur, ne tam facile mandet: & quoniam membrum mandans mandat uel propter fortitudinem, uel propter debilitatem, uel propter maximam sensibilitatem: si fuerit propter fortitudinem

membrũ mãdãs tribus modis mãdat ui: supra fol. 77 ui. vt quot regnat in quali bet suspicion- cum montanum cõsult 85 centurie prim- ga 4.

dinem

dinem uirtutis expulsiuæ, prouidebitis eam, ne sit tam fortis, & pertinax castigando calorem, & spiritus: si quidem talis efficitur ex multitudine spirituum, & caloris. Castigabitis autem calorem, spiritusq; uel cum euaporantibus, si facietis euaporare membrum, uel cũ sacrificatione mittendo sanguinem ab illa parte, ut uirtus tam ualide mittens non mittat amplius. quod si fuerit ob imbecillitatem uirtutis contentiuæ corroborabitis uirtutem: nam si ratione intemperiei membrũ erit nimis laxum, & humidum exiccabitis: sin nimis frigidum calefacietis, & tonum, seu robur facietis cum adstringentibus, & stypticis. quæ autem sit natura istorum habuistis in nostra methodo uobis tradita in illo libello de simplicibus medicamentis, & apud Galenum omnia, quæ diximus cohærent ueluti cathena. Si uero fuerit ratione maximæ facilitatis sensus, eo quia à minima re lædatur, oportet ut obtundatis membrũ cum narcoticis, quæ frigida sunt. Habetis autem eo in libro, in quo gradu frigiditas esse debeat sicut Hyosciamo, papauere albo, opio, mandragora, & alijs, quæ stupefaciunt, idq; facietis tum cum refrigerantibus rebus exterius applicitis, tum cum rebus interius assumptis: semper tamen admiscendo cum istis aliquid calidi, ut penetrare possint: nam aliter non penetrarent, & ista est causa, quare frigida mista cum calidis citius interficiant. uideatis Philonium, in quo licet sint plurima frigida, sunt tamen in eo aliqua calida: ex quo nascitur pulcherrima dubitatio, quam etiam tetigi in me-

sensibilitatis

noto

cur venena frigida mixta cum calidis citius interficiant.

methodo mea. unde fit, quod uenena frigida mista cum calidis citius interficiant? & ita miscendo frigida illa stupefacientia cum calidis obtundemus sensum membri influxionibus menstruis, sicut etiam solemus facere in diarrhœa, & dysenteria: exhibemus enim opiata ad obtundendam acrimoniam humorum, & sensibilitatem membri, prouocando etiam somnum, eo quia in somno fluxiones retinentur. tertia indicatio sumebatur à uijs, si modo uiæ fuerint nimis apertæ restringendæ sunt, eò quòd cura semper fiat per contrarium. Sed quo modo constringentur? Quidam applicant frigida renibus: sed sunt nugatores, & faciunt aliquid, ut uideantur medici etiam cum nocumento ægri. quum uenæ sint intrinsecus, quamuis difficillimum sit uenas interius constringere, & non semper faciendum, tamen quando id faciendum est, tunc debetis eas constringere potius cum intrinsecus assumptis: nam cum extrinsecus assumptis nihil facietis. ergo si secundum rationem agendum, uiæ illæ per interius assumpta sunt astringendæ: sed habito hoc, quibus sint constringendæ uidendum est? Si enim exhibebitis potiones, quæ simpliciter astringunt, non poterunt ad illas uenas peruenire. Sunt igitur admiscenda diuretica, quæ habent proprietatem deducendi ad ipsos renes, ut deducant astringentia ista ad renes, & uasa. recentes autem ut etiam Sauonarola, Gattinaria, & alij non sunt contemnendi in omnibus: principium enim habuerunt methodi, sed finem attingere non potuerunt. Vbi

Nota

igitur

igitur materia frigida ſit optimum erit, ſi accipiatis ſyrupum de menta, quia calefacit, & aſtringit. ſed non eſt exhibendus ſimplex, debetisq́; aliud addere, exempli gratia: Recipe ſyrupi de mentha unc. i. uel unc. i. s. cum aliquo diuretico, ut cum ſyrupi acetoſi, de ſeminibus unc. s. uel poteſtis accipere ſyrupi de Artemiſia unc. i. s. cum decoctis ex eadem artemiſia, & chamæmalo: item ſyrupum de Ribes. præterea poteſtis accipere pentaphylum: & forte quod pentaphylum per ſe ſumptum optimum erit: quoniam maxime prouocat urinam. Amplius poteſtis accipere ſyrupum de mirtho in materia calida permiſtum cum decoctis ex ſeminibus melonum, cucurbitæ, & cum aqua graminis, quæ omnia ſunt diuretica frigida, & ſic aſtringetis uias: poteſtis etiam hæc exhibere in forma electuarij, ea componendo modo electuarij. quarta indicatio erat, quæ ſumebatur à membro recipiente, ut corroboremus ipſum, quod eſt uterus. Debetis igitur prouidere, ne tam facile recipiat, & ſic in eo fuerit aliqua intemperies cum contrarijs ipſum corroborabitis, & ad naturalem habitum reducetis: ſin autem fuerit apoſtema, ipſum apoſtema curabitis, & inter omnia ſemper ſtudeatis, ut uterus reddatur denſus, quia denſitas uteri eſt potisſima cauſa intercipiendi, & ſupprimendi fluxus menſtruorum teſte Auic.

Sed quoniam polliciti fueramus indicationes particulares, quæ à materia ſumuntur, non quatenus materia in communi, ſed quatenus materia talis ob eam

cauſam,

causam, quod id optimū, uobisq; omnibus utilissimum fore uidetur, tractabimus. Itaque pollicita præstanda: potest autem materia, quæ fluit esse uaria: nam potest esse sanguis, pituita, bilis melancholia, semen. Cum igitur tot sint materiæ, quæ fluere poßunt per uias ad uterum omnes quot sunt, tot etiam faciunt uarias indicationes: aliter enim auertimus sanguinem, si erumpat, quam pituitam, & alios humores. Si nanque sanguis effluat, qui totus continetur in hepate, & in uenis per totum ambitum corporis existentibus tanquam in proprio loco præter eum, qui est in dextro uentriculo cordis, nulla melior eius est retractio, quam phlebotomia quatenus ea fieri potest: propterea quòd uera sanguinis auersio est mißio sanguinis per uenæ sectionem. Quod si ætas, uel aliqua hominis conditio repugnet, & prohibeat phlebotomiam, ut si senex esset, uel si haberet uentriculum imbecillum, tunc sanguis melius auertitur cum cucurbitulis, & scarificationibus, cum hirudinibus, & alijs similibus, quæ supplent uicem phlebotomiæ: & hoc sit dictum satis, quia de conditionibus auersionis abunde supra diximus. Si modò pituita fuerit, quæ fluat, & ipsa auertenda est: nam hæc (ut diximus) est indicatio communis omni materiæ fluenti: sed quatenus talis materia est, uariam auersionem exigit. quonam modo pituita sit auertenda, natura rei indicat, quam considerantes prudentes agunt, & nunquam peccent. quum itaque pituita sit potissimum, & generetur in uentriculo, & etiam in cerebro (ista

nut[m].

in qb, ne cap[?]aculis generetur pituita.

(ista enim sunt loca, & ueluti receptacula pituitæ, licet etiam quandoque in uenis generetur propter frigiditatem hepatis, sed ista non est ita uera pituita, sicut illa, quæ in cerebro, & in uentriculo generatur) sicq; optima auersio erit, ut prouocetur uomitus, & educatur per nares: istæ enim sunt mineræ pituitæ: imo omnes ægritudines, quæ pendent à pituita solo uomitu liberantur: sæpe uidemus albas menstruorum fluxiones solo uomitu esse curatas, ut etiam Galenus admonet febrem quotidianam hoc modo curandam esse. Item huiusmodi auersio fiet per errhina. i. caput purgia, gargarismata, apophlegmatismos, siue masticatoria: sed quoniam uultis esse ueri medici, ideo non satis est scire expurgandam esse pituitam à uentriculo, sed oportet etiam uidere, quomodo sit euacuanda, & unde sumimus indicationem. Scitis pituitam esse humorem crassum uiscosum, tenacem, & obstruentem uasa, ita ut haud facile euacuatur. Quare oportet, ut concoquatur, & præparetur: & (ut dixi pluries) concoctio nõ est idem, quod præparatio: nam concoctio est separatio boni à malo, & fit à calore naturali separando utile ab inutili sicut fit in pomis, piris, & omnibus fructibus immaturis, in quibus cum separatur utile ab inutili per concoctionem inutile difflat, & euaporat. præparatio autem fit incidendo, & abstergendo materiam. Igitur prius concoquenda est materia, & non statim educenda, iuxta illud Hipp. concocta medicari &c. & hoc faciendum est cum calore innato: sed quoniam

niam pituita est humor frigidus, ubi calor naturalis erit paucus, illa non poterit concoqui, ideo oportet adiuuare calorem innatum, ut possit concoqui materia, recentes autem nesciunt, quid sit concoquere, quia abstergunt solum, & incidunt: Sed hoc est præparare. Itaq; ut calor adiuuetur oportet facere uentriculum calefaciendo ipsum, ut dicit Galenus quarto de tuenda sanitate, ubi iubet, quod æger à cibo abstineat, & exhibet diatrion pipereon: quod habet uim calefaciendi. præterea præcipit balnea aquæ dulcis, quando caliditas, & humiditas balnei iuuat concoctionem: Item quietem ita, ut sit coopertus pannis bene. Hæc enim omnia iuuant concoctionem, quæ concoctio fit à calido, & humido. Facta concoctione si pituita, quamuis concocta non potest bene excerni propter suam uiscositatem, & crassitudinem, & tenacitatem, tunc debetis accedere ad præparationem, quæ fit incidendo materiam, & abstergendo, & hæc dicitur præparatio uera non concoctio. Et ideo quum accedetis ad uirum aliquem, uel mulierem laborantem fluxu pituitoso, uel alio morbo pituitoso, debetis iubere, ut maneat quieta illa mulier per duos, uel tres dies, & utatur cibis calidioribus, ut recte uentriculus possit concoquere: deinde accedere debetis ad concoctionem calefaciendo uentriculum: postea transactis istis diebus, ubi materia concocta fuerit, nisi exeat ex se uel per uomitum, uel per uiam urinæ, tunc debetis accedere ad præparationem materiæ incidendo, attenuando, & abstergendo materiam si crassa,

craſſa, & uiſcoſa fuerit materia: craſſefaciendo autem ſi tenuis erit. Quapropter optimum erit in præparando humorem pituitoſum exhibere diaſpoliticon, diacalamenton, diacyminon, & quæ magnam uim habent incidenndi, ut docet Galenus in quarto de tuen. ſanit. & ita ſemper prima eſt concoctio, deinde ſequitur præparatio, niſi natura expulerit ante præparationem materiam concoctam. Cæterum tranſacta ſeptima, uel decima, tunc demum uos euacuatis cum euacuantibus pituitam, ſi natura non euacuat, & tunc omnia fœliciter ſuccedent, & cum ratione, ita ut omnes etiam uos admirentur: & iſte eſt modus operandi. Sed habito modo uidendum eſt cum quibus inſtrumentis ſit operandum? inſtrumenta ad concoctionem faciendam iam dicta ſunt: ad inciſionem uero præter electuaria multa ſunt inſtrumenta bona: diacyminon, diaſpoliticon: diacalamenton pliriſarcoticon, confectio diamuſchi: diambar, confectio imperialis, & omnes confectiones calidæ: ſyrupi, qui incidunt, abſterguntq́;, ut oxymel, quod tamen non calefacit, ideo ualet in materia calida. Sed ſi uultis calefacere, ut hic poteſt, debetis eligere oxymel cum radicibus, deinde ſyrupum de hyſopo, de abſinthio propter nimiam abſterſionem, & alia ſimilia: ſed non in principio uti debemus ſyrupo de Abſinthio propter nimiam abſterſionem, deinde ſyrupus de Betonica celebratur ab iſtis, quo quidem ſemper utuntur: ſed neſcio quare tantopere ipſum extollant, quum apud me non habeat uim incidendi, neque

abstergendum, eo quia incisio fit à calore: & caliditas non reperitur in isto, quæ sit sufficiens ad incidendum, nec etiam abstergit, quia abstersio ratione amaritudinis est: atqui illi non inest amaritudo, & ita non uideo, quomodo incidat, & abstergat. Habetis autem omnia ista, & multa alia instrumenta in lumine, & apothecariorum thesauro. Item in Mesue, & in Nicolao illo Græco, quem ego in arcanis habui, nunc traductus est, in eo sunt omnia copiosissime: ista est uia procedendi in præparanda pituita. Ad eam autem euacuandam præcipua uis est in agarico, colocynthide, elaterio, cnico, turpeto siue turbith: sed à turbith usitato abstineatis, quantum poßibile est, quia nihil aliud facit, nisi quod turbat uentriculum, & credo, quod dictum sit turbith à turbando, quia turbat, & non euacuat humores. præter ergo ipsum turbit laudo omnia alia: habetis etiam composita, ut est confectio Hamech: pilulæ cochiæ, & aggregatiuæ sunt conuenientißimæ: ista sunt quæ dicenda erant de euacuatione pituitæ. Si uero fluat bilis, & auertenda sit, à quo mēbro fiet auersio? Nam bilis est tanquam tyrannus quidam peßimus: non enim habet certam sedem, neque scit stare loco, bene habet propriam sedem generationis: sed non mansionis: nam quandoque est in uentriculo, quandoque in capite, quandoque in uenis, & in ambitu totius corporis: neque potest cælari, neque se abscondere, ubi est, quia semper se ostendit, & manifestat. Nā si fuerit in toto ambitu corporis proditur colore citrino: si in uentriculo,

triculo, facit nauseam, & sitim: si in capite, fit furor, calor, phrenitis, uigiliæ. Vbicunque igitur sit à loco auertitur, & commodißime quidem: si in uentriculo per uomitum. Sed dubium est, utrum statim euacuanda sit nulla præposita præparatione? Nonnulli noui, Rasis etiam uoluerunt, quod bilis statim euacuaretur, & nulla indigeret præparatione: quandoquidem sit humor tenuis, subtilis, mobilis, & statim exeat? istud est falsum: & isti decepti sunt, quia non perfectè didicerunt medicari: nec cognouerunt in bile tres esse conditiones, quæ maxime requirunt præparationem: prima est, quæ etiam ei est communis cum alijs humoribus, quod bilis est permista sanguini, & quum sit permista sanguini, certum est tunc non debere euacuari: quoniam bonum simul cum malo educeretur: oportet prius separari bonum à malo, & hoc quidem est concoquere, quod quidem est à calore naturali. Sed quomodo id faciemus, quum hic calor sit maior, quam oportet, & calor faciat concoctionem: Nam si augeamus calorem fiet maior copia bilis, & augebimus fluxum. Quomodo ergo faciemus? Dico quod non augendus est calor: sed calor adæquandus, & ad temperamentum reducendus contemperando, & remittendo calorem illum auctum cum frigidis, & humidis, sicut in pituita, ubi calor erat diminutus augebatur calor, & ita ad temperamentum reducebatur. Verum statim dicet aliquis, quomodo cum frigidis, & humidis concoquitur, cum concoctio fiat à calore natura-

Dub.

tres sunt conditiones in bile

Solut.

obiectio

li. Dico quod frigidum & humidum non concoquit, sed calor temperatus est, qui concoquit, & quum remittatur calor ille præter naturam à frigido, & humido & fiat naturalis, propterea dicimus, quod à frigido & humido fiat concoctio remittendo illum calorem, & faciendo ipsum temperatum: & ita semper concoctio fit à calore innato temperato: nam si calor diminutus est, augetur, si auctus, diminuitur. Syrupus itaque frigidus, & humidus non est, qui concoquit, ut Germanus ille Fuchsius decipitur in sua methodo: & iniuste inuehitur in recentes, quia nemo ita sentit, sed syrupus alterat, & reducit calorem innatum ad temperamentum, qui postea ad temperamentum reductus separat bonum à malo, & ista est concoctio. Habet igitur bilis primo quod est permista cum bono, & ita debet separari: separatur autem remittendo calorem: deinde habet bilis unum aliud, propter quod indiget fortasse maiore concoctione, quam pituita: nam quum sit syncera, feruet, attrahit, exiccat, excoriat, & ulcerat locum, per quem transit, ut apparet in dysenteria, & cum mouetur in febribus acutis, & ego uidi cholericum humorem non concoctum, dum transiret per intestina facere dysenteriam, & fluere ab ortu diei usque ad uesperam. Eget ergo bilis maiori præparatione, quam ullus alius humor, & minime mouenda est, ante quam concoquatur, obtundatur, ac præparetur, & certè longè maius periculum est euacuare bilem non concoctam, uel præparatam in illa sua non na

turali

turali dispositione, & furiosa, quam pituitam, quando adhæret, quia in bile sequuntur inflãmationes, & excoriationes, & alia incommoda, in pituita uero sequitur illud solum, quod nihil educitur. Cum refrigerantibus igitur, & humectantibus bilis est & præparanda, & concoquenda, quæ calorem adæquent, & hæc sufficient ad concoctionem. Atque etiam bilis acrimonia obtundenda est: & sic admiscebimus emplastica, quæ habent uim obtundendi acrimoniam. Ad obtundendam bilem maxime conuenit in cibis chondrus, quẽ uulgares Far appellant, est enim in eo uis emplastica, deinde pedes uitulorum conueniunt, & omnis denique cibus emplasticus. Antiqui dabant res confectas ex pasta, ut plac ntas, lagana, & pastacea reliqua. Hippo. in hoc casu dat pisces palustres, ut uitient humorem biliosum. tertio habet bilis quando est syncera, quodq; est tenuis, & calida, & ob id aperit membra, & imbibitur bilis ita, ut non facile ab ijs extrahatur, nisi utamur abluentibus, & abstergentibus. ergo bilis abluenda est, & abstergenda cum humidis, quæ sunt sine caliditate, ut ptisana, quæ habet uim abergendi sine erosione, abluendi, & refrigerandi. Item potus aquæ hordei, & aqua mulsa bene diluta, ut sint octo partes aquæ, & una mellis, uel ponatur saccarum loco mellis, ut nos facimus: longeq; meliora sunt semina maiora melonum, cucurbitarum, cucumerum, & citrullorum, quod in Ægypto anguria, hoc est Galen. pepo. Sed caueatis à syrupis de anguria, quum sint frigidi,

& crudi: & licet Ægyptij non habeant aliud melius pro præparanda bile, quam succum anguriæ, & optime faciant: nostri tamen medici, qui & ipsi uolunt idem facere, male faciunt, quia non uident quod multum differunt nostræ anguriæ ab illis: nam nostræ sunt admodum crudæ ratione nostri cœli, & quia sumus alia in regione. Illæ autem, quia Ægyptij sunt in regione ualde calida, sunt optimæ & commodißimæ, ex quarũ una expressa, exit fermè situla succi. Itaque quum bilis tria habeat uitia, tria etiam habebit instrumenta, quibus illa corrigantur uitia: primũ enim cum frigidis, & humidis eius calor remittendus est, deinde cum emplasticis obtundenda est eius acrimonia, tum bilis cum imbibatur in penitioribus locis cum attrahentibus, & abstergentibus est extrahenda. Ex quo patet eos, qui dicunt quod bilis non sit concoquenda, falsum dicere. Sed quomodo euacuatur bilis? illis peractis euacuatur cum Rhabarbaro, scammonio, mãna, caßia, cũ syrupo rosato solutiuo ἐκ ξυλοβορῶν, & cum multis alijs, quæ omnia medicamenta distincta habetis per sua capita apud Aetium, Paulum, Actuarium, & Mesuen: & hæc sunt satis de bile. Quantum uerò attinet ad humorẽ melancholicum auertendum, qui maxime residet in splene, licet quoad generationem etiam in hepate generetur: nam omnia excrementa in hepate fiunt, aliquando tamen spargitur per totum corpus, & ad uterum quoque descendit uel præ multitudine humoris, uel ex imbecillitate splenis. Si erit

erit ratione multitudinis, tunc melancholia per phlebotomiam, aut hæmorrhoidas educetur, uel per pharmaca euacuantia melancholiam: per uomitum autem minime tentetis, quia nihil est deterius, quam euomere nigra, uel ciere uomitum in humore melancholico: quinetiam cauendum est à ualide educentibus, ubi est dominium melancholiæ. Et ideo optime facit Galenus qui non transit epithimum, & pilulas de Hiera, s.licet aliqui admirentur ipsum, quoniam non est irritandus iste humor: sed quando debet euacuari? prius est concoquendus, ut bonum separetur à malo, id quod maxime fiet cum rebus odoratis, & confortantibus calidis & humidis temperate: neque ista concoquentia debent esse tantæ caliditatis, sicut sunt concoquentia pituitam. Cibi humidi, balnea aquæ dulcis maxime conuenient. Item uina alba, tenuia mediocriter dulcia: si potiones uultis, optimus erit syrupus de succo boraginis, & buglossæ: item syrupus de glycyrhiza, syrupus de pomis dulcibus: est enim calidus, & humidus. Amplius confectiones non nimis calidæ conueniunt, ut confectio ex oleo amigdalarum dulcium, & zuccaro, syrupus uel confectio Sabor regis: & ita ubi humectaueritis corpus aliquo tempore, quum terrestris admodum sit iste humor, debetis postea uti acetosis incisiuis, sed non continue: nā quum per quatuor, aut sex dies humectaueritis exhibēda ea, quæ supra diximus sunt: deinde per duos, aut tres dies incidetis dando oxymel, pisces salsos, acres cibos. Legatis Aurelianum methodicum de

morbis chronicis, ubi optime docet præparare humorem melancholicum hoc modo: primum per octo dies cibat ægrum cum optimis alimentis calidis, & humidis, posteà deuenit ad pisces, & ad cibos acres incisiuos, & ita utitur diæta ab istis recorporatiua dicta, & ratio est sua anasynerisis: eo quia Aurelianus sequitur doctrinam Asclepiadum, qui putabant corpora constare per σωύκριμα, & ita cum leuioribus semper procedit. Nam quæ euacuant melancholiam præter ista siccant corpus, quæ uero ualde exiccant corpus augent melancholiam: hæc satis quantum sit de quatuor illis humoribus. Sed quoniam est aliud genus humoris. s. semen ipsum quod facit gonorrhœam, & exit à matrice, ideo nunc uidendum est, quomodo iste humor curari debeat. Scitis, ut dicebamus, quum de causis ageremus, quod gonorrhœa fit quinque de causis, uel propter multitudinem seminis, uel propter malam qualitatem, & acredinem seminis stimulantem uirtutem, uel propter debilitatem uirtutis contentiuæ, uel quia uiæ sunt nimis apertæ, uel quoniam corrumpitur semen, unde stimulatur uirtus ad expulsionem: ista quinque faciunt diuersas indicationes. Nam si à multitudine seminis fuerit, statim cum frigidis, & siccis occurretis, & ex his nutrietis ægrum, & iubebitis, ut à carnibus & uino abstineat, & utatur aceto, lentibus in aceto coctis, & omnibus denique cum aceto conditis, ut paucißimum semen generet: nam debetis exhibere, quæ paucum semen generent, idcirco menta est

gonorrhea quot et causis fit

optima,

optima, quia prohibet generationem ſeminis: unde milites antiqui utebantur mēta in caſtris pro cibis quis tali meneſtras, Galli potagia uocant: quia caſtitatem inducit. Qua de re Ariſt. errauit in problematibus, ubi uolens reddere cauſam, cur milites uterentur menta in caſtris, dicit quod prohibet Venerem: quantum adhoc recte dixit, ſed deinde audens huius rei reddere cauſam dicit eam prohibere ſemen ob ſuam frigiditatem, quod falſum eſt: ſiquidem illud fit ratione ſuæ ſiccitatis: nam menta ualde exiccat. Bonus conciliator uolens excuſare Ariſt. dicit fortaße uoluit dicere menta eſt frigida i. calida, forte irridens ipſum. Debemus igitur nutrire ægrum tali nutrimento, quod exiccet ſemen, ut eſt menta, quæ ratione ſiccitatis prohibet ſemen. præterea debemus facere, ut multum laboret, & regatur ſecundum præceptum Auic. in capite de his, qui inhoneſto utuntur coitu, ubi dicit, quod tales indigent uerberibus, ut contineantur in officio, & ponendi ſunt in carceribus: nam ita remittetur ſemen. Si uero gonorrhœa fuerit ex nimia tenuitate ſeminis, & acredine, uti debetis rebus emplaſticis, ſicuti eſt tragacanthum diſſolutum in aqua roſacea, & uiolacea: deinde ſyrupus de iuiubis, de mirthis. Amplius chondrus, oriza, cucurbita, & omnia emplaſtica conueniunt ad hoc, ut tenue fiat craſſum: nam quando ſemen nimium tenue eſt, emplaſtica conueniunt. Qui porrò ſemper eodem modo curant diſpoſitiones à diuerſis cauſis ortas (mirum eſt dictu) quot

erro-

mentha prohi
bet seminis
generationem

quod remedium
Auicen. prohi
bet inhone
sto coitu uten
tibus

errores cōmittant: miſeri, quiita ſine methodo curant. Si uero gonorrhœa ſit propter nimiam apertionem uiarum, & laxitatem ſemper ſtypticis utendum eſt, ut aqua plantaginis, & alijs, quæcunque adſtringunt interius, & exterius admota. Si fuerit ex debilitate uirtutis contentiuæ, hoc poteſt eſse uel quia partes illæ relaxantur ex nimio coitu, quia humore crudo humeſcunt, unde calor naturalis diminuitur, & redditur imbecillis, & tunc iſti adiuuantur cum rebus ualde, et optime nutrientibus, & cum uino bono, ſtyptico, nigro, odorato, & aromatico: uel propter maximum laborem, & coitum. Si uero fuerit propter corruptionem ſeminis, hic tria ſunt facienda: primum ſtatim debet euacuari, quod corruptum eſt aperiendo: & caueatis, ne conſtringatis in principio: deinde facta euacuatione debet prohiberi putredo faciendo euentationem cum balneis, fomentis, & euaporationibus, adhibendo calefacientia, & aperientia: tum cum adſtringentibus, & corroborantibus adiuuare oportet. Hinc facile apparent errores practicantium uulgarium in curanda gonorrhœa: primum errant, quia ſemper exhibent emplaſtica, et frigida: deinde peccant, quia ſemper interius, & exterius applicant adſtringentia, quæ debent applicari in dilatatione uiarum: præterea peccant ſecundum renes frigida admouendo. Nam frigida debent applicari ſub renibus, non autem ſupra renes: neque in medio renum, ſed inferius. Nam ſcitis à uena in ſiniſtra parte ad renes tendente prius, quam renes attin-

manifestatur errores practicantium in cura gonorrhee

attingat, ramum porrigi ad uterum, ſeu ad penem: in dextra autem non item, ſed à medio corpore uenæ ca uæ exit ad uterum, ſeu teſticulos. Miror ego cur ap-plicent remedia ad uenas? ſane in parte ſiniſtra infra renem poſſent applicari, & magis uerſus ſpinam. At cum bene intra coxas utrinque accedant uenæ ad teſti culos, non uideo quo modo ibi ſub coxis recte posſint applicari remedia? Sed non confidatis multum in his, quæ exterius applicanttur, ſed magis confidatis in his, quæ intrinſecus ſumuntur, quia hæc conuenientisſi-ſima ſunt.

Reliquum modo eſt, ut explicemus indicationes, quæ ſumuntur ab effectibus conſequentibus morbum, qui ſunt tres, motus, tempora, & terminus præcogni tus: ab his tribus debet bonus medicus ſumere indica-tiones. incipiamus à motu: motus ægritudinis poteſt, & debet intelligi dupliciter: uno modo pro ipſa alte-ratione, quæ imprimitur in corpore affecto tanquam pasſio: alio modo pro inuaſione, ſeu incremento, quod fit certis, & ſtatis diebus, & uterque motus facit di-uerſas indicationes. Motus primo modo dictus poteſt dupliciter conſiderari: uel enim iſta alteratio, ſeu im-presſio procedit tarde, uel uelociter: Si tarda eſt, indi-cat quod ratio uictus, & medicinæ debent ipſæ ita tar de procedere, quemadmodum & motus tarde proce-dit. porro tarditas ipſa poteſt prouenire à pluribus cauſis: uel enim erit propter debilitatem uirtutis tar-de concoquentis, uel propter aliquem malum effectum: & an-

& angustias uiarum, uel propter crassitiem, uiscosita tem, & cruditatem materiæ: à quacunque causa prouenerit ista tarditas, semper debet medicus tarde procedere: nam si fuerit propter imbecillitatem uirtutis, uirtus ipsa corroboranda est, & non statim festinandum est ad ipsum medicamentum, quia tunc uirtus corroborata facile insurget ad aliquam crisim faciendam. Si uero fuerit ob angustias uiarum, neque tunc est festinandum ad medicamenta, sed prius debemus aperire, & disponere uias. Si fuerit ob crassitudinem, & cruditatem materiæ, hic etiam debemus tardare: nullo enim modo est educenda materia, nisi prius concoquamus, & præparemus eam, & ita à quacunque causa contingat tarditas motus, debet & medicus tarde procedere, aliter in uanum laborabit. idem uoluit Hipp. in secunda particula Aphor. aphor. 8 ubi dicit quod corpora quæ tarde resoluuntur, tarde tiam refici debent. Quod si tarditas motus fuerit à tribus istis causis simul, uel à duabus: eo magis erit tardandum. Si modo motus est uelox, nimirum erit propter causas contrarias uel propter fortitudinem uirtutis, uel propter amplitudinem uiarum, uel propter tenuitatem materiæ, & tunc non debemus tardare. Nam si tardaremus, periculum esset, ne materia præcipitaretur ad membrum aliquod nobile, & principale, & faceret aliquam inflammationem. Et hoc est quod dicit Hipp. in acutis morbis rarò in principio utendum est medicamentis: & in principio si quid uidetur mouendum

dum moue &c. & ita quum motus fuerit uelox quia tūc materia turget, estq́; fere furiosa, ideo minime tardare debemus: & hæc de motu considerato pro alteratione. Si uero consideretur motus est, ut exacerbatio certis, & statutis diebus inuadens, tunc uidendum est utrum inuadat in die pari, an in die impari? Nam si in die impari exacerbatur morbus, tunc in die pari medicamenta exhibebitis, & uictum instituetis: si uero fiet exacerbatio in die pari, contra in die impari occurretis. Quare ita faciendum? præceptum est hoc, quod semper in die minoris exacerbationis debemus cibare, & mederi: sed dicet quis, mihi uidetur potius esse faciendum oppositum, quia debemus occurrere, quando materia est in motu: si quidem tunc facilius euacuatur. At in die afflictionis est huiusmodi: ergo &c. sicut etiam magis iuuandus est ille, qui est in periculo? Respondeo quod totum contrarium est faciendum, quia maximum esset incommodum aggredi curationem in die afflictionis, & in tempore maioris exacerbationis: & ratio est, quoniam nihil aliud est exacerbatio, quam motus uiolentus naturæ insurgentis contra materiam tanquam secum uelit pugnare, Galenus tertio de crisibus. Hæc cum ita sint, si tunc occurritis, & uelitis iuuare naturam, multa & pessima incommoda sequentur: primo ex quo tunc natura est occupata circa materiam, & circa morbum inimicum, si pharmacum exhibeatis, quum illud debeat deduci ad actum à natura: quæ natura erit coacta relinquere

mor-

obiectio

solutio

morbum, & conuertere se ad medicamentum, & interim morbus fiet fortior supra naturam, & ita quum prius pugnaret tantum contra morbum, nunc etiam contra pharmacum pugnabit: nam & hoc in principio est illi inimicum. Quare quum duos habeat hostes magis, ac magis aggrauabitur: præterea natura in ea pugna repatitur, & fit imbecillior: quod si pharmacum exhibeatur, adhuc reddetur imbecillior, ita ut quando non posſit pugnare contra morbum, nec etiã contra pharmacum ſuccumbendum ei ſit. Amplius natura in ea pugna ſæpe tentat expulſionem per aliquã partem, quam tu ignoras aut per ſudorem, aut per uomitum, & quum das pharmacum, tu ducis per ſeceſſum, & impedis uirtutem, ne posſit expellere, quod tentat. Ad hæc dum natura concoquit illam particularem materiam facientem exacerbationem, tu exhibendo pharmacum auertis naturam ab illa actione: & ita natura irritatur quandoque, ut dicit Galenus tertio de diebus criticis, prærumpitur ante tempus criſis, quod dicunt προκρίνεσθαι: Et fiunt pesſimæ criſes, & ſequuntur pesſima accidentia, quoniam materia ante concoctionem irritatur: unde natura cogitur præcipitare ipſam materiam ad aliquod membrum nobile: & contingunt omnia incommoda, quæ fiunt à criſi imperfecta, & non facta conuenienti, & debito tempore, quæ fit materia non concocta. Quare longe plura ſunt incommoda hic, quam ſi reſpicias motum materiæ: nec ualet illa ſimilitudo de amico, quia non eſt eadem ratio.

Non

Non est igitur mouenda materia in die afflictionis, sed in quiete: nam si mouerimus materiam paratam, & concoctam, tunc fiet eductio facillima, & quamuis non purgetur tota materia unica uice, in alia postea accessione natura insurget fortior ad residuum expellendum, fientq; breuiores, & minores paroxismi: istæ sunt indicationes, quæ sumuntur à motu ægritudinis, quæ est prima affectio contingens morbo. secunda affectio morbum consequens sunt quatuor tempora principium, augmentum, status, & declinatio, quæ omnia habent uarias indicationes medendi, & sunt diligenter aduertenda: nullus enim bonus medicus in principio medetur, sicut in augmento, statu, & declinatione. Sed quoniam tempora possunt considerari dupliciter, uno modo ut particularia uniuscuiusque accessionis; alio modo, ut uniuersalia totius morbi: Galenusq; singulis dicauit librum. Incipiamus à temporibus particularibus, & primo consideremus indicationes, quæ ab eis sumuntur, quia hæc magis urgent propter rationem ciborum. tempora particularia quatuor sunt, sicuti & uniuersalia, & una quælibet accessio habet quatuor tempora principium, augmentum, &c. quæ tempora distinguuntur inter se penes cruditatem, & concoctionem, ut alias diximus. Indicationes igitur quæ sumuntur à temporibus particularibus, sunt particulares, & dupliciter possunt sumi uel ratione cibandi, uel ratione pharmacandi: quantum ad cibationem certum est, quod neque in principio, neque in augmen

to,

to, neque in statu accessionis ægrum cibare debemus: & hoc propter autoritatem Hipp. in fine primi de ratione uictus, ubi dicit quod quando calor ad pedes descenderit, tunc est cibandus æger: per calorem autem qui reliquerit partes superiores, & deuenerit ad infimas intelligit declinationem, ut ibi exponit Galenus præter autoritatem est ratio etiam à natura rei sumpta: nam scitis quod in accessionibus uentriculus, & thoracis partes maxime calent, ac feruent in principio, augmento, & in statu sunt in summo: quod si tunc detur cibus, quum cibus à calore naturali moderato conficiatur, & ab immoderato aduratur, quoniã ibi est calor immoderatus præter naturam, aduritur, & inflammatur cibus, & ita augetur paroxismus, quia calor adhuc magis augetur tum intensiue, tum extensiue, & totum corpus incendit, ipsumq́; exiccat. Igitur nullo modo est exhibendus cibus in principio, augmento, aut statu: in declinatione autem quum tunc temporis calor sit moderatus, potestis cibare ægrum, quia cibus tunc bene conficitur à calore naturali, & non aduritur, & hoc quantum ad cibationem, Quantum uero ad medicamenta exhibenda, dico quod in ægritudine habente huiusmodi accessionem neque in principio, neque in augmento, neque in statu debetis dare pharmaca, sed in declinatione, uel tempore quietiori: huius rei rationes dictæ sunt superius, quando loquebamur de motu ægritudinis. Sed hic insurgit dubitatio, si quotidie fiant accessiones, sicuti in tertianis

nothis

nothis contingit, & proportionalibus, quæ continuas quotidie habent accesſiones, ut etiam in hemytritæo cõtingit, in quo tempore euacuandum erit? Supponamus quod in die illa, quæ ſit minoris afflictionis ſint ſæua accidentia, ſicut de facto poteſt contingere: dicet aliquis euacuandum erit in declinatione paroxiſmi, quia illa eſt pars quietisſima. Sed contra: ſi in declinatione euacuatis, tunc contingunt duo incommoda: quod prohibetis ægrum à cibo, & à ſomno, eò quia nullum eſt aliud tempus cibandi ægrum, & dormiendi præter declinationem: nam in illa debet æger cibari, & dormire: & ſi declinatione exhibes pharmaca, quando cibabitur & dormiet æger: ſi in declinatione non eſt pharmacandus æger. ergo in principio futuri paroxyſmi: in principio autem paroxyſmi hoc non poteſt fieri commodè, nec rectè, ſicuti diximus, quia deteriorem reddemus exacebationem. Reſpondeo, & notate quia recentes implicantur, & multos interficiunt, quos Deus nouit: dico igitur quod in huiuſmodi ægritudinibus habentibus acceſsiones ſuas continuas ita, ut non ſit notabilis differentia unius diei ab alio, ſi materia eſt calida: & ſit bilis, ut plerunque contingit, nullo modo debetis exhibere pharmacum euacuatiuum, ſed tantum debetis facere miſsionem ſanguinis in declinatione: nam ex huiuſmodi ſanguinis miſsione primo euacuatur corpus ſtatim, deinde non prohibetur cibus, nec ſomnus: quia poſt horam miſsionis ſanguinis poteſt cibari, & dormire,

ſi modo uirtus conſtiterit, quod ſemper intelligendum eſt, quia ſi uirtus non conſtaret, etiam non pharmacares. Virtus enim debilis non poteſt operari, & ſi uirtus non operatur fruſtra medicus aggreditur curare. nullum ergo pharmacum eſt exhibendum in caſu: nam ſi pharmaca exhibueritis, ſemper augebitis morbos, eosq́; reddetis deteriores. ac credatis mihi, huiuſmodi ægritudines non curantur medicamentis, ſed curantur primo mißione ſanguinis, poſtea refrigerantibus, & abſtergentibus, prouocantibus urinam, & lenientibus aluum. Si uero fuerit materia frigida, ſicuti in febribus quotidianis contingit, quæ eodem modo continue affligunt, neque etiam nunc debemus euacuare, uel mittere ſanguinem: ſanguis enim mittendus non eſt, quia nulla eſt indicatio mißionis ſanguinis, quoniam hic materia frigida craſſa, & uiſcida eſt: quandoque tamen contingit, ut parum ſanguinis mittatur, & tunc quando eſt obſtructio aliqua in hepate, & rarò hoc contingit, nec fit niſi in principio. Quid igitur faciendum? Certum eſt, quod omnem ægritudinem à materia pendentem ſanat euacuatio. Quibus igitur euacuantibus utemur? conſilio meo uos euacuabitis materiam iſtam frigidam per uomitum, ita ut æger prius cœnet, & poſt cœnam euacuetur, & talis euacuatio erit præſentanea, & iſte eſt unus modus euacuandi pituitam: alius modus eſt, ut ſemper aluus ſit lenis, & aperta. oportet igitur primo lenire uentrem cum flore caßiæ, &

& cum

& cum clysteribus: deinde oportet uti incidentibus, & abstergentibus, & electuarijs: præterea cum frictionibus euacuatur pituita non in principio, sed suo locō, & tempore debito, ita ut primo leniatur uenter deinde dentur syrupi: deinceps pruocantia urinam, & frictiones adhibeantur: istis medicamentis occurretis febribus continuis. Si uerò accessiones habuerint interualla, ut contingit in reliquis febribus, tunc poteritis euacuare in die quietiori. Sed posset aliquis dicere, cur posuisti hæc, dum uis fluxionem menstruorum euacuare? Feci hac de causa, tum ut uos docerem regulam, & methodum, quæ deseruiet non solum fluxionibus, sed etiam omnibus ægritudinibus, tum etiam quia hactenus non diximus de huiusmodi uniuersalibus, & quoniam sunt, qui non amplius uacabant medicinæ, ne defraudentur, hoc dicendum erat in uniuersali. Sed adhuc est una alia quæstio, & dubitatio: nunquid stantibus rationibus per me dictis, quod in die maioris afflictionis non licet dare pharmacum, uel saltem exhibere syrupos digestiuos? Respondeo quod si unquam hoc inuenietis apud bonos autores, erit mihi gratum, si illud quoque mihi ostenderitis: sed dico uobis quod nunquam inuenietis apud aliquē, q̄ in die maioris afflictionis debeat æger uel cibari, uel pharmacari aliquo medicamento alterante. i. quod habeat aliquam energiam alterandi, incidendi, & abstergendi, eo quoniam omnia incommoda superius dicta sequentur à pharmaco faciente

obiectio

alia q̄stio et dubitatio

aliquam euacuationem in die paroxyſmi exhibito. Non eſt igitur cibandus, aut pharmacandus æger in die maioris afflictionis. Sed qui uelint exhibere ſyrupos prouocantes urinam, eos debent exhibere in minori afflictione, nimirum in declinatione: quoniam illud eſt tempus conueniens, non autem in principio, augmento, & ſtatu. Sed in augmento, & in ſtatu debetis occurrere accidentibus, ut ſi fuerit maxima ſitis, non debetis eſſe ita crudeles, ut nihil exhibeatis: nam male faceretis, ſed debetis potare ægrum, & refrigerare tranſacto principio: ſi fuerit periculum ſyncopes debetis præuidere, & occurrere, ne accedat, ſicuti docebimus in anno futuro Deo dante & ita in accidentibus moleſtis circa augmentum, & ſtatum debet occupari bonus medicus, ut ſi fuerit humor tenuior repens ad uentriculum ipſum cohibebit. Si dolor capitis ita intenſus, ut etiam ſit periculum delirij debet refrigerari caput ratione delirij, & occurrere cum fomentis refrigerantibus, & ſic in alijs. Iam diximus tempora poſſe dupliciter conſiderari, uno modo ut particularia, de quibus iam diximus, alio modo ut uniuerſalia, de quibus nunc dicendum eſt. quomodo ab his ſumuntur indicationes cibandi, & pharmacandi? Certum eſt, quod nec in principio, nec in augmento, nec in ſtatu quantum attinet ad pharmaca euacuantia debent exhiberi: quia concocta medicari &c. Sed dicet aliquis nonne in ſtatu materia eſt concocta? Si concocta eſt cur non euacuas?

si mag. fuerit sitis la... quis ...

obiectio

cuas? præterea quomodo in declinatione uis euacuare, si tunc iam omnia sunt perfecta, & euacuata? Respondeo, & dico quod in statu natura euacuat, & quum natura euacuat, non debet medicus aliquo modo se intromittere: bene uerum est, si natura non euacuaret tempore status materia concocta, tunc medicus debet euacuare, quia dicit Hippocrates & si natura non euacuat, uel non mouet, moue tu hora motus eius: sed dum natura euacuat, medicus nihil debet operari: in declinatione autem dixi, quod debet medicus euacuare, eo quia contingit aliquando quod natura facit crises imperfectas, ita ut non euacuet totam materiam: & quoniam quæ relinquuntur in morbis iuxta Aphorismum, recidiuas facere consueuerunt. Ideo oportet, ut medicus euacuet residuum humoris relicti: uerum est, quod si natura perfecte euacuat in statu, non amplius euacuabit medicus. Nam medici est solum incidere, præparare, disponere, & concoquere materiam, quæ incidenda, præparanda, & concoquenda est. Natura autem est illa, quæ operatur, & non est necessarium, quod semper medicus euacuet, nisi quando natura non euacuat, & quum in statu natura euacuet, ob id in statu medicus non debet euacuare, & si non perfecte in statu euacuat natura, tunc in declinatione euacuabit medicus: & hoc quantum ad pharmaca attinet. Quantum uero ad cibationem habetis Hippocratem primo Aphorismo. item in toto libro de ratione uictus, & in

libro

quod med. sit munus

libro de crisibus: in quibus locis docet, quod debeamus regulare cibum secundum quod regulantur quatuor tempora: nam si fuerit principium breuius, uictus parcus, & tenuis est instituendus: si longius, uictus copiosior, & crassior est instituendus, & similiter dicendum de reliquis temporibus: & hæc de indicationibus, quæ sumuntur à secunda affectione contingente morbo. tertia affectio erat terminus præcognitus: plurimum enim refert cognoscere quorsum terminabitur morbus non solum ad curationes, sed etiam ad præcognitiones, quæ quum mali quippiam prænunciant, culpa liberant medicum: si postea accidat contra, ut bonum aliquod ostendant maximam medico pariunt æstimationem: In menstruis albis fiunt multæ permutationes, crises uel bonæ, uel malæ, quæ quandoque terminantur ad crisim, quandoque ad hydropisim, quandoque imperitus medicus facit errorem, & quandoque mulieres pariter, sæpiusq; confugiunt ad obstetrices: astringentibus utuntur, & ita inducunt miseras patientes in apoplexias, & alios morbos. Si autem in hydropisim debeat fieri terminatio, cognosces ex signis, si in phtysim tota corporis facies marcescet, & mutabitur. A uarietate ergo terminorum uarias sumes indicationes: si terminus fuerit laudabilis, ut si incidat in hæmorrhoidas: habes indicationem à termino præcognito, quod adiuuanda natura sit, quæ materiam per hæmorrhoidas expellat. Si autem menstrua fuerint alba, & fiant uomitus multæ pituitæ, est

terminus bonus, qui adiuuabitur, ut sit sufficiens. Si humor ille fuerit uiscosior, excoquendus erit, & incidendus, ut eò facilius excernatur, & hactenus habuisti indicationem à morbo? Indicatio à loco affecto. In loco affecto ista considerantur, substantia an sit carnosa, an neruosa, membranosa, ossea, an etiam pluribus constet, ut sunt musculi? Modus substantiæ an sit dura, mollis, aspera lenis. Temperies an calida frigida, ut ossa, nerui: colligantia, an si compingatur cum membris principalioribus, cum nobilioribus, aut contra. Diaplasis. i. conformatio, quæ foramina habeat, an habeat uasa per quæ expellat. Sensibilitas, an sit multa sensibilitas nec ne, an sit penitus nulla. Nobilitas quæ consistit in magnitudine, & necessitate operationis. Et hæc sunt, quæ considerantur in natura membri affecti. In casu nostro uterus affligitur, recipit superfluitates: ergo ista animaduertes. Substantia uteri est membranosa, similis uesicæ, crassior tamen in mulieribus, quæ sæpe pariũt amplior & minus tenuis, aliquando tamen tenuior ipsa uesica, habet uenas subtiles, & quidem copiosas, id quod indicat multitudo menstruorum rubeorum ex utero defluentium, est præterea mẽbrum panniculosum, habet quoque paucos neruos, qui à uertebris dorsi deferuntur ad uterum. Cum igitur sint temperati, membranæ uero sint longe sicciores utriusque habenda ratio est. Habet quoque conuenientiam cum cerebro propter defluxus, & propter membranas: propter defluxus quidem, quibus uterus obnoxius est.

Modus

Modus substantiæ uteri est densa caro. Temperatura est frigida, & sicca ratione membranæ, & ratione uenarum, quæ propter contenta calidæ sunt: non omnino frigida est temperatura, sed aliquid habet aduentitiæ caliditatis. frigidum itaque uocabis absolute uterum, temperatum tamen aliena caliditate. Hic incidit quæstio, quod si temperatura membri affecti à temperatura totius discrepet, quid sit agendum? de hac quæstione consule Galenum tertio methodi. Colligantias uterus ualidissimas habet: alligatus est dorso, & renibus præcipue sinistro, quia quædam uena ualde insignis ramificatur à caua ad renes, & postea ad testiculos: habet quoque colligantiam uterus cum hepate propter uenas à concauo delatas, & inde est etiam, quod tales incurrant in hydropem, quia frigiditas uteri consistit cum frigiditate hepatis. Est quoque illa colligantia cum corde propter arterias descendentes ab aorta. Cum cerebro quoque: nam inde uapores rectà petunt, & afficiunt cerebrum, & inde fiunt apoplexiæ, conuulsiones membrorum: nec dissentit à uesica: nam inde fit stranguria ratione uicinitatis. Quare his omnibus cum utero perspectis etiam prospiciendum est, aliud sensibilitas, propter neruos, panniculos, & mēbranas uterus ualde est sensibilis. Nobilitas, hæc est per accidens: prodest enim uterus nascituris non natis. Nulla enim est operatio uteri, nisi quod pariat; est enim uas factum ob generationem, & propter excrementa, alioqui nisi excernat afficit totum corpus
uarijs

uarijs afflictionibus: nobilitas ergo ista sua est per accidens. A natura siue uirtute membri indicatio considerat uigorem facultatis. Vigor autem iste consistit in tribus: in humoribus laudabilibus, calore & spiritu, ac solidis membris: calor & spiritus si resoluuntur uirtutem quoque resolui necesse est: humor quoque laudabilis si perierit, etiam uirtus debilitabitur. Praeterea si membrum solidum non fuerit, in quo consistet uirtus? & hoc est quod dixit Hipp. ex impetentibus spiritibus, ex fluentibus, & solidis constare uirtutem ualidam. Vide Galenum 12. Therapeut. Cum igitur uirtus in his consistat, quae si deficiat, eam quoque deficere certum est: proinde cautione in his utetur medicus, si sanguis fuerit diminutus, restaurabit, sin minus solida fuerint membra, consolidabit, atque diligenter se exercebit, ut arte agat omnia. Si enim (iuxta Arist. in Ethicis) male cytharizando fiunt mali cytharedi, quāto magis in ea arte, nisi bene te exercueris, singula deteriora facies: praeterea si non arte didiceris rē agere, oportebit te rursus iuxta Arist. 1. met. eadē dediscere. apud Gal. ut haec demū dicam propter eos, qui non sunt admodum exercitati, est quoddam discrimen librorum, & omnino comparandus est uobis Galenus, si uultis proficere, sed tamen qui libri in Galeno praecipue legendi sunt? libros de elementis si qui festinant possunt omittere: non autem sunt omittendi, neq; oscitanter legendi libri de temperamentis: de nat. facul. de loc aff. libri Anatomici, quos malo, quam oculares

comparetis. Sunt postea perlegendi sex libri de differentijs, & causis morborum, & symptomatum, aurei quidem, & ad unguem addiscendi: item libri de sanitate tuenda: libri de simplici medicina: & tandem therapeutica: isti sunt libri organici, qui uos instruent ad recte exercenda opera medica: neque sunt ita multi, ut uno anno non possitis omnes istos, si fueritis diligentes, cognoscere, atque per uos ipsos intelligere.

FINIS.

VALENTINVS LVBLINVS POLONVS CANDIDO LECTORI
fœlicitatem optat perpetuam.

EST cur candide lector, maximas gratias agas, habeasq́; bibliopolæ Balthassari Constantino, nimirum quòd is semper enixè operam dat, ut opera Montani Veronensis integerrima, ac à mendis penitus repurgata in lucem prodeant. Quod quidem ut commodius facere posset, his dum imprimuntur præfecit uirum singulari ingenio ornatißimum, ac in linguarum cognitione peritißimum, Io. Carolum Monnetum Gallum philosophiæ, ac medicinæ doctorẽ, qui in arte medica cum sit excellens, facile errata commissa tum per scribas, tum per typographos è medio tollere potest. Hoc uerò iam liquidius tibi patefiet cũ in his opusculis, quæ iam tibi à nobis offeruntur, tũ in Epidemijs Montani, quæ breui (CHRISTO auspice) edentur, in quibus omnibus recognoscendis, dum typis mandantur summa diligẽtia, ac dexteritas ingenij maxima Io. Caroli Monneti tibi perpetuo commendabitur. Sed de his hactenus, cum ob iter quod iamiam in patriam suscipio, nullum momentum temporis ad scribendum mihi relinquatur. Bene uale, & his fœlix utere, donec reliqua Montani in lucem prodeant.

Venetijs. Idib. Septembris. 1554.

ADMONITIO LECTORIS DE ERRORIBVS.

Vbi lector humanisſime reperies in opuſculo de characteriſmis feb. fol. 36. uerſu. 12. talem notam, &c., accipias pro etiam: ac ſimilia ſiqua forte legendo comperias, corriges: et, ſe, pro uos fol. 48. ubis adiungatur fol. eodem, in aliquibus non. fluxuus pro fluxus fol. 85. deinde ſi legas alios errores, tuum erit corrigere: quoad enim eius potuit fieri, in his plurimum incubuimus, ut opuſcula iſta tria tibi in lucem prodirent correcta. Vale.

REGISTRVM.

*A B C D E F G H I K L M N O P.

*Quaterniones omnes præter *, O, & P,*
qui ſunt duerni.

VENETIIS IOAN. GRYPHIVS
excudebat. Ad inſtantiam Balthaſſaris Con=
ſtantini ad ſignum diui Georgij.
M D LIIII.

Alexander tralliannus li. 12. pag 205. inducit opinionem verasque [?] putredinem fieri [struck] posse et ita sic [?] curate.

A li porri delle mani

Rx ventriculi unum pipionis et sciade ipsum sciade fricet illa pelicula interza cum illa veluti superficie terrea super dictum porrum diade sepeliat et dum marcescet illa pelicula idem porrus faciet et liberabitur expertum E

fiore di verbasco pezato sopra alli porri nidi

[?] guarisce

Oīa amara abstergunt, incidunt et aperiunt
Oīa acuta calefaciunt, scindunt et digerunt
Oīa acerba contrahunt, indurant et exsiccant
ut in cortice [illegible] capparis

radix [illegible] dr materia
morbi, ut tradit [illegible] fr
[illegible] sup fen 2. quart cap. 2

de schisto [illegible] fol. 127
matthiolus [illegible] sup
cap. et [illegible] dioscorides
tradit schiston graecis
vocari [illegible] cap.
63

pore vide in [illegible] et
[illegible] fol. [illegible] sibi [illegible]
[illegible] verba [illegible]
[illegible]

no [illegible] arg[illegible] melancolia fri
gida et sicca [illegible]
vide fol. 79

[illegible] fol. 180
modu faciendi diacido. solut

